B.N.C.F.
MAGL..5.6.199.
CF005270805

Biogr. Jen. 20 c
5. 6. 199

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN V.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO
ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

PISIS MDCCLXXIX.
EXCUDEBAT CAROLUS GINESIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

EMANUELI
RHOANESIO
HIEROSOLYMITANI ORDINIS
MAGNO MAGISTRO ETC.

ANGELUS FABRONIUS.

FElicia, fauſta, aeterna Deus eſſe velit quae Tu, EMINENTISSIME PRINCEPS, geſſiſti ad Hieroſo-

Digitized by Google

lymitani Ordinis decus, ad ſubditarum Tibi gentium commodum utilitatemque, & ad litterarum incrementum. Laudabunt alii genus Tuum (quis porro ignorat Rhoanenſium Familiam inter nobiliſſimas Gallorum ſic ſplendeſcere velut luna inter minores ignes?) alii juſtos & glorioſos de barbaris triumphos, alii prudentiſſima inſtituta atque leges, quibus rei publicae

conſulis; ego quidem nunquam praedicare ceſſabo eximium Tuum in litteratos eruditoſque homines amorem atque beneficentiam, & aſſiduas, quas impendis, curas in augendam ornandamque recenter inſtitutam Melitenſem Academiam, atque inflammandos Milites Tuos ad litterarum ſtudium, ut quemadmodum hi ceteris praeſtant nobilitate ac bellicis virtutibus, ſic e-

Digitized by Google

tiam animi cultu magis magiſque antecellant. Eſt porro bonorum omnium vota pro imperio Tuo nuncupare, cum divino ſingularique munere donati Reipublicae videantur Princeps illi, qui ſedulo dant operam, ut cum bellicis artibus litterarum ſtudia conjungantur. Ego equidem non ſine munuſculo ad Muſarum templum accedam, quod acceptum fore confido, &

quod in eo illuſtre Tuum nomen inſcripſerim, & quod prodendis poſteritati doctiſſimorum Italorum monumentis illud ipſum deſtinaverim.

Digitized by Google

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Aloyſius Ferdinandus Marſilius	Pag. 6.
Antonius Maria Valſalva	65.
Victorius Franciſcus Stancarius	115.
Euſtachius Manfredius	144.
Gabriel Manfredius	209.
Bartholomaeus Beccarius	229.
Petrus Jacobus Martellius	259.
Franciſcus Algarottus	304.
Franciſcus Maria Zanottus	326.
Joannes Benedictus Mittarellius	373.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

SEBASTIANO CONTERZANIO S. D.

NOn equidem vereor, Caterzani amiciſſime, ne laudem ac gloriam Aloyſii Ferdinandi Marſilii nimis hoc ſcripto extuliſſe videar. Quanquam enim virtuti invideri ſolet, extra tamen invidiam is eſſe facile judicatur, qui nihil ad commodum utilitatemque ſuam referens, omnia fecit hominum & patriae cauſſa. Multis ſaeculis vix ſimilem Marſilii invenies, qui in privata fortuna tam lautam ſupellectilem diſciplinarum omnium collegerit, totque inſtrumenta atque incitamenta induſtriae comparaverit; quique perfecerit, ut vel opulentiſſima ac beatiſſima civitas ornamentis per illum partis maxime gloriari poſſet. Nec minus illud mirari licet, unum hominem de omnibus, quae ad tantam tamque variam prudentiam pertinerent, diſputare potuiſſe docte ſatis atque perite, vixque reperiri quidpiam, in quo tiro ac rudis, peregrinus atque hoſpes eſſe videretur. Sed quo plura ipſe tenebat, eo difficilius fuit de ſingulis dicere, ac judicare; ac veriti ſaepe ſumus, ne imaginem homi-

nis deformaremus, quae elegantia ſermonis & rerum copia, uti coronis, erat exornanda. Verum illud accidit peropportune quod mihi percunctanti aut quaerenti aliquid pro humanitate ac doctrina tua ſingulari nunquam defueris, quam ob rem te ita exiſtimare volo, ad eam voluntatem, quam erga te ſemper habui, magnum cumulum recenti beneficio acceſſiſſe. In eo autem quod diligentiam laudas multorum nobilium adoleſcentium, qui cum domi habeant illuſtria adeo exempla ad imitandum, otio non contabeſcant, atque artes praeclariſſimas plenaſque delectationis, qualis certe eſt naturalis hiſtoria, ediſcant, agnoſco equidem ſtudium & amorem tuum in patriam. Nam cum haec nullo non tempore tulerit cives, qui ad illuſtrandam nobilitatem, domeſticaſque laudes amplificandas, omni arte, ſumptu, & induſtria rerum phyſicarum ſcientiam auxerunt, non ſine magno doloris ſenſu hoc ornamento careret, quaſi effoeta ac ſterilis eſſet, aut nihil valerent exempla, praemia, ſubſidia induſtriae, & inſtrumenta virtutis, quibus mirum in modum abundat? Porro quid eſt aliud nobilitas niſi cognita virtus; & qui praedicari de ſe & nominari volunt niſi per artes bonas, & praeclara facinora, non honorem ac dignitatem, ſed

ſed contemptum abjectionemque merentur? Narrabat Marſilius ſe puerum libentiſſime audire ſolitum voces eorum, qui laudes Aldovrandi doctrinae & induſtriae tribuebant, & ex eo tempore exarſiſſe deſiderio nobiliſſimi civis aemulandi gloriam, Themiſtoclis vetus renovans exemplum, qui ſomnum capere non poterat, quod Miltiadis trophaeis ſuſcitaretur. Profecto illa naturalis hiſtoriae doctrina, quam laudibus maxime efferebat Marſilius, & in qua praeſertim ipſe excellere voluit, ſumma erat in Aldovrando, quem non tam cognitione rerum, quam induſtria omnino ſingulari, &, ſi vis etiam, credulitate quadam, haud immerito Plinio comparaveris. Cum LX. *circiter annos in una facultate elaboraverit, immenſa ferme obſervare, & colligere potuit, atque opera efficere tanta, quanta ab uno homine haud effici poſſe putabantur. Sapiens eſt in diviſione rerum, ſolers & diligens in iis deſcribendis; & niſi egrederetur ſaepe e propoſito, & ignorare videretur adhibendam opportune eruditionem, non inconſiderate profundendam, & in omni re videndum nequid nimis; neminem quidem in ſuo genere parem habuiſſet. Inde illa rerum abundantia, quam is de induſtria conſequebatur, adeo ut ſi de gallo & bove*

ſermo eſſet, in medium venire deberet quidquid narrarunt veteres de illorum natura, virtutibus, uſu; neque hoc ſolum, ſed quidquid ſuperſtitioſi, imbecilli & aniles animi excogitarunt, ſimilitudines, quas poetae ab iis duxerunt, variae populorum opiniones in eorum proprietatibus definiendis, quid per ſculptas hieroglyphice corum imagines ſignificarerur, quidquid demum aut veri aut ficti de iiſdem proditum memoriae eſſet. Quoniam haec plauſibilia non ſunt, glorioſe loqui deſinant magnorum voluminum confectores, nobiſque gratulari liceat, quod in ea devenimus tempora, quibus auctoritas ſine experientia rationequo contemnitur, quibus multa, quae ſtudioſe quondam conquirebantur, nunc inania & ſupervacanea exiſtimantur; quibus in phyſica tractanda ad rem veritatemque omnia referuntur, & quibus inventa non ſolum ordine, ſed & momento quodam judicioque, & ſermonis elegantia exponuntur, unde percipiendi retinendique facilitas, & mira quaedam in cognoſcendo ſuavitas ac delectatio. Non haec eo dico, eruditiſſime Caterzani, ut a Philoſopho omnem eruditionem contemnendam arbitrer; quin immo meo judicio plurimi is faciendus erit, qui cum delectu & prudenter illam adhibeat; monendoſque adoleſcentes

putavi, ut dum ſuorum factorum exempla ex ſummis viris petunt, ſtudioſe inveſtigent qua in re hi peccaverint, & diſcant quid declinare, quidque ſequi ipſos oporteat. Vale.

Piſis Kal. Jan. MDCCLXXIX.

Digitized by Google

ALOYSIUS FERDINANDUS MARSILIUS.

Scripturus de vita Aloyſii Ferdinandi Marſilii magni & philoſophi & ducis non ea modo perſequar, quae inſtituti mei ſunt, ut eum inter eruditiſſimos hujus ſaeculi viros collocem, ſed ea quoque non indiligenter memoriae prodam, quae virtutis ejus bellicae famam tueri atque augere poſſint. Etenim haec ejus prope unius gloria fuit, poſtremis hiſce temporibus, quibus veterum laudes ad commemorationem magis, quam ad imitationem videas valere, ut Periclis, Xenophontis, M. Catonis, Julii Caeſaris, C. Plinii veſtigiis inſiſteret, demonſtraretque optimo quodam conſilio Herculem cum Minerva, Muſas cum Marte conſociatas fuiſſe, quod inter belli paciſque artes non diſſidium, ut vulgus autumat, ſed arctiſſima conjunctio eſt. Sed ad propoſitum veniamus. Vetus & illuſtris eſt Bononiae familia Marſiliorum, ex qua ortum habuit Aloyſius Ferdinandus XIII. Kal. Sext.

an. MDCLVIII. Educatus eſt non, uti nunc ſit, delicate & molliter, ſed aliquanto durius, ut non modo regere equos, tractare arma, ſed quidlibet agere & pati pro laude poſſet. Parentes optimos Carolum Franciſcum Marſilium, & Margaritam Herculaniam, ipſam quoque genere, ac nobilitate praeſtantem, mature amiſit, deque eorum morte valde doluit. Praeceptores habuit Marcellum Malpighium, Laelium Trionſettum, & Geminianum Montanarium; iiſque ducibus & condiſcipulo atque aemulo Dominico Guglielminio, facile potuit ſtudio, quo vel a pueritia incenſus eſt, in mathematicas & phyſicas diſciplinas ſatisfacere. Patavii etiam aliquandiu commoratus eſt ſtudiorum cauſſa, & Romam ac Neapolim conceſſit, ut urbes nobiliſſimas, & homines doctos, quibus abundabant, noſceret. Neapoli dum eſſet, ita notavit deſcripſitque omnia, quae magis admiranda videntur hiſtoriae naturalis ſtudioſo, ut in his deſcriptionibus, quas ad Montanarium miſit, ſingularem ſolertiam apparere atque extare ſummi homines judicarint. Redux in patriam majora itinera cogitare coepit, & cum Petro Civra-

nio Venetorum ad Regem Turcarum Legato media aeſtate an. MDCLXXIX. Conſtantinopolim profectus eſt. Longum eſſet omnia numerare, quae obſervare ſibi propoſuit. Sic habeto: quidquid arte fieri potuit, quidquid elaborari ad Turcarum ſibi benevolentiam conciliandam, eorum mores ac leges, omnemque rem publicam tenendam, eorum regiones reſque admirabiliores noſcendas ſummo ſtudio illum conſecutum fuiſſe. Hujus rei argumento eſſe poſſunt quae de Boſphoro Thracio ſcripto mandavit, vulgavitque a. MDCLXXXI. Etenim totam regionem deſcripſit, contrarios curſus, quos ſummae aquae atque imae habent, notavit, velocitates dimenſus eſt; nec harum rerum ſolum, ſed & variae naturae tum ventorum, qui eo in loco maxime flant, tum ipſius aquae (non enim ubique eodem modo ſalſa eſt) & partium, quibus illa componitur, cauſſas aut aperuit, aut ſaltem indagavit: multorum etiam piſcium naturam inveſtigavit, nonnulloſque anatomice deſcripſit, quo praeſertim in capite quaedam nova eſſe videntur. Haec cum ad manus perveniſſent Chriſtinae Svecorum Reginae, admirabiliter

a tanta femina accepta fuerunt, addiditque illa pauca quaedam de ſuo, ut operi, quod pecunia ſua edituram ſeſe receperat, perfe-ctionem, & Scriptori alacritatem & ſtimulos ad nova ſuſcipienda adderet. Perſecutus eſt Marſilius alio opere Turcarum leges, inſtituta, & totum ſtatum, converſioneſque rei militaris apud eaſdém gentes, quod tamen opus nimis tarde, ita jubente Caeſare, cui illud dono dederat, lucem adſpexit. Viſum eſt Marſilio, ut & Jacobo Porterio (hi enim duo praeſtabiliores rerum Turcicarum ſcriptores putantur) non pro arbitrio omnia agi in illo imperio, quod ordinem in judiciis, jus & aequitatem interdum valere animadverterint. Sed ſi Tyrannos omni furentes libidine excipias, in uniuſcujuſque imperio aliqua juſtitiae ſigna facile agnoſces. Nihilo tamen minus ex multorum ſententia (1) tyrannica, ſeu δεσπότικα illa imperia appellare non dubitabis, ubi ad unius arbitrium leges feruntur & abrogantur, ubi nulla populi privilegia, ubi nulla haereditaria nobilitas, quae ſua jura &

(1) Vid. Robertſon in vol. II. Introd. ad vit. Caroli V. Not. 42.

privilegia tueatur, & media ſit inter regem & populum, ubi magnae copiae magnaeque divitiae ab unius voluntate pendent, & ubi imperanti beata ſubditorum populorum vita minime ſit, quaſi ſcopus, ob oculos poſita. Undecim menſes Byzantii fuit Marſilius, reveniensque domum iter per Graeciam & Dalmatiam fecit, ut has quoque regiones cognitas haberet. Non pauca notavit de ſtatu Eccleſiae Graecae ſub Turcarum imperio, illiuſque ritibus & uſibus, hacque de re epiſtolam ſane longam ſcripſit Jacobo Patriarchae Hieroſolymitano. Dedit & operam, ut eadem ferme cognoſceret de Armenorum Eccleſia, quae in ſcriptis reliquit. His itineribus inchoaſſe videtur Marſilius gloriae curſum; cumque ejus deſiderio ita eſſet commotus, ut vehementius haud potuerit incendi, ſtatuit fortunam tentare, merens ſtipendia eo in bello, quod Leopoldus Caeſar adverſus Turcas rerum Pannonicarum cauſſa ſuſceperat. Viennam priuſquam proficiſceretur, ad Urbem remeavit, ubi honorifice a Svecorum Regina acceptus fuit. Habuit quoque mandata magnis de rebus a Cardinali de Luca,

Innocentii XI. Pontificis a ſtudiis; cumque Mediolanum veniſſet, multum júvit conſiliis ſuis hominem, qui illi urbi praeerat ad muniendas quaſdam Mediolanenſis imperii arces, & ad avertenda magna, quae Cremonae ab Padi aquis impendebant, pericula. Per omnes militiae gradus brevi tempore ad praefecturam, non alia re, quam ſua ipſe virtute commendatus, pervenit. Fuit enim hoc ſemper propoſitum Marſilio noſcere & deſcribere regiones, ubi militabat, noſci exercitui & ducibus, diſcere a peritis, ſequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recuſare, & omnia ſtudioſe, ſcite ac fideliter agere. Militavit primum in Hungaria ſceleratorum ſede ac regione, qui adverſus Caeſarem, Duce Emerico Tekelio, arma ſumpſerant. Itaque non minus ab his, quam a Turcis, qui magno exercitu in hoc ipſum regnum irruebant, timere debuit. Juſſu Hermanni Principis Badenae, qui militari conſilio praeerat, 1682.
inviſit regiones eas, quae a flumine Arabo alluuntur, deque iis defendendis quaecumque fieri in rem eſſet, ad conſilium ſcripſit. Commiſſum quoque ei fuit, ut inſulam Arabam

majoribus operibus ac praeſidiis ipſe muniret, qua de cauſſa cum in colloquium ſaepe veniſſet cum primoribus Hungaris, qui a Caeſare ſtare videbantur, cognovit ſtatim in eorum fide nullum eſſe praeſidium, ſpemque ponendam. Hac de re docuit Lotharingiae Ducem, qui exercitum, cui praeerat, prope Taurunum collocaverat, ab eoque auxilia petiit. Nulli vero pepercit induſtriae, quo paucos, quos ſecum habebat, Hungaros obnoxios fidoſque faceret Caeſari: admonet alios officii, alios periculi & ignominiae; rogat omnes, ut meminerint, quae aliis temporibus perpeti Hungari a Turcis debuerint. Conflixit cum hoſte in palude Aſvagana, ipſumque terga vertere coegit. Quo ſucceſſu laetus, majoraque animo agitans audit totum Turcarum exercitum flumen Arabum, ipſis faventibus Hungaris, tranſiiſſe; in occurrentes regiones cum ferro & igne invadere; de ſe, de Caeſaris exercitu, de Hungarorum fide eſſe deſperandum. Ita ab ſuis relictus, aut verius proditus, petiit ab eo, qui Capſuari praeerat, ut in arcem admitteretur; nec minus repulſam ab eo tulit, quod homo improbus e nu-

mero eſſet conjuratorum. Itaque cum quo ſe verteret non haberet, incidit in manus Tartarorum, a quibus in hoſtilia caſtra ductus eſt. Venalis captivus, qui deformis erat ob multa accepta vulnera tum a Tartaris, tum ab ipſis Hungaris aegre emptorem invenit, nec niſi ſeptem argenteis nummis, quos illi tallaros vocant, emptus eſt ab Achomate Temeſvariae praefecto. Quo tutior vita ejus eſſet, ſe gregarium militem ſimulavit; & quidem viliſſima quaeque munia faciebat, & eo tempore quo Vienna obſidebatur, ipſe ſtramentorum faſces, ceteraque ad opus neceſſaria ferebat. Interea repentino metu perculſi Turcae edicunt, ut omnibus iis captivis, qui aetate ultra XVI. annum progreſſi in dominatu eſſent ſuorum, caput praecidatur. Saluti conſulere ſe poſſe fuga ſperavit Marſilius, deprehenſoque ſavit fortuna, quod obtinuerit ſe XXIV. tallaris emi a duobus fratribus Boſnienſibus, quibus majoris ſpem lucri pro libertate recuperanda oſtenderat. Fugato Turcarum exercitu a Poloniae Rege, Marſilius quoque alligatus ad equum fugere cum dominis coactus eſt, fugitque octo & decem

continuas horas nudis pedibus, interdum tractus per dumeta & vepres, & ita afflictus impetu fugentium & labore ſuo, ut exanimatus aliquandiu jacuerit. Quo cum in ſtatu eſſet, parum abfuit, quin juſſu illius, qui exercitum ducebat, cum aliis captivis necaretur; nec niſi magnis precibus Dominorum ab imminenti periculo liberatus eſt. Poſt id conſedit aliquandiu Budae, ut valetudini conſuleret, & quoad potuit caſtra, urbem, quo nempe ſitu, moenibus & arce munita eſſet exploravit. Inde per longa, infeſta & devia
1683. itinera in Boſniam ductus eſt; ſed priuſquam libertatem redimeret, & ad ſuos redire poſſet, infinita incommoda perpeti, & maximas difficultates vincere debuit. Evaſit tandem aliquando, non mediocri numerata pecunia, eumque reducem atque incolumem magnis charitatis ſignificationibus patria excepit. Qua in urbe cum honeſtum ſequi otium poſſet, non tulit cupidus gloriae animus; neque vero tot aerumnae, quibus antea fuerat exercitus, avertere hominem a tentanda iterum ac periclitanda militiae fortuna. Itaque cum ſuos
1684. ſalutaſſet, ad Caeſarem rediit, a quo benigne

acceptus eſt, miſſuſque ad exercitum, qui iis diebus ob initum foedus inter Caeſarem, Poloniae Regem, Venetorum Rempublicam & Pontificem adverſus Turcas, Budam obſidebat. Nemo extitit, quin Marſilii conſilia propter militaris rei & regionis peritiam maxime in hac oppugnatione utilia fore ſperaret. Multa ſane monuit peropportune, eaque ſtrenue, quantum in ſe fuit, executus eſt. Rebus tamen Caeſaris non contigit, quem optabat exitus, ipſeque, dum obſidio duravit, bis morbo correptus eſt, ac toties Viennam conceſſit, ut valetudini proſpiceret. Ibi juſſus inſtrumentorum bellicorum fabricae praeeſſe, multa experiri potuit, quae valuere ad hujusmodi artem perficiendam; extantque adhuc plures epiſtolae ejuſdem ad Vincentium Vivianium de varia vi, & effectibus pulveris bellici, cauſſiſque hujuſce varietatis. Poſt haec 1685.
curam habuit muniendarum arcium Strigonii & Vicegradi, qua re perfecta ad exercitum convolavit. Porro ejus opera magni ſemper fuit Lotharingiae Duci, qua tum maxime uſus eſt cum Neoſolii arcem expugnaret. Graviter ibi vulneratur, febrique corripitur Mar-

filius, quas calamitates patientiſſime tulit, quod non ad valetudinem minuendam, ſed ad gloriam augendam accidiſſe ſibi diceret. Itaque cum primum ingredi coepit, non magis ſibi quam Caeſari convaluiſſe ſe exiſtimans ad omnia pericula princeps eſſe non recuſavit. Hanc magnitudinem animi praeſertim o-
1686. ſtendit, cum ineunte Junio renovata eſt Budae obſeſſio, in qua tanta virtute ac prudentia ſe geſſit, ut affirmare non dubitem factum eſſe in primis opera Marſilii (ſua enim uniuſcujuſque virtuti laus debetur) ut illa munitiſſima urbs cum toto Turcarum praeſidio in manus Germanorum pervenerit. Urbem relictam direptioni & incendiis ipſe quoque ingreſſus eſt, non ut aurum & gemmas, ſed ut Orientales codices conquireret. Non paucos congeſſit, tenues fortaſſe reliquias bibliothecae Corvinae, quam integram adhuc extare vanus rumor jactabat. Hic ferme unicus fuit fructus, quem ex hujuſmodi victoria cepit. Nam fructum virtutis, nempe gloriam, ſibi magna ex parte uſurparunt exercitus ductores, qui hac una in re conſenſiſſe videbantur ut famam Marſilii imminuerent. Extitit etiam

qui

qui labem ejus dignitati falſa criminatione adſpergere tentaret, quod indignum atque intolerandum viſum eſt ipſi Caeſari; non tamen ſevere pro rei indignitate punitus eſt invidus accuſator, quod eſſet in eo ſumma auctoritas atque amplitudo. Hac in accuſatione non tam id laboraſſe viſus eſt Marſilius, ut qui ei obtrectabant, refutarentur a Caeſare, quam ut animum ſapientem & fortem oſtenderet, ſic ut ſua moderatio & gravitas aliorum magis infamaret injuriam. Declaravit vero Caeſar quantum conſideret virtuti fideique Marſilii, cum datis ei litteris ſua manu ſcriptis, Lotharingiae Ducem juſſit illius opera praeſertim 1687.
uti in iis, quae apparabantur, rebus. Itaque raro Marſilius a Ducis latere diſcedebat, fuitque non ſolum ſpectator, ſed particeps etiam immortalis gloriae, quam ille conſecutus eſt ob victum diſperſumque Turcarum exercitum, redactamque Tranſilvaniam in Caeſaris poteſtatem. Adſuit etiam Caraffae ad oppugnationem Agriae, & egit cum eo, qui Praefectus erat arcis (ſatis enim Turcicam linguam callebat) de oppidi deditione. Tot victoriis laetus Caeſar voluit de iis docere ſum- 1688.

mum Pontificem non tam ut gratum ſe oſtenderet illi, a quo non mediocria ſubſidia acceperat, quam ut nova ad bellum continuandum obtineret. Ad hanc rem delectus eſt Marſilius, de quo malevoli ſparſerunt rumores non delectum, ſed dimiſſum a Caeſare ipſum fuiſſe. Verum eos mendacii convicere tum quae a Pontifice facile impetravit, tum nova, quae ad eumdem a Caeſare habuit mandata. Spectabant haec Archiepiſcopatum Coloniae Agrippinae, quem deferri Clementi Bavariae Principi maxime optabat Caeſar, non tam ut benevolo faveret, quam ut inimicum Guilelmum Furſtemberghium repelleret. Erat hic Argentorati Archiepiſcopus, ſed ambitio quaedam, hortationeſque Gallorum ad alterius infulae ſtudium eumdem duxere. Favebant ejus honori ſuffragatorum multi, & vel ipſe Archiepiſcopus Colonienſis, qui eum ſibi decrepito dari adjutorem poſtulabat. Sed id fieri non poterat ſine Pontificis permiſſu, ad quem magnopere ſolicitabatur a Galliae Rege. Hic enim e re ſua eſſe putabat deditum obſtrictumque ſibi habere eum, cujus dominatus ac ditio in interiori Germa-

nia eſſet. Non eſt credibile quanta dexteritate rem egerit Marſilius; neque hanc modo, verum etiam alia, quae a Caeſare habuit mandata, ad optatum exitum perduxit. Non mediocriter valuit ad conciliandam ei Pontificis benevolentiam expoſitio tum rerum geſtarum in Hungaria, tum illarum, quas animo agitabat Caeſar, inter quas erat deliberatio Taurunum obſidendi. Ea res feliciſſime evenit, duce Bavariae Electore; ſed cum diſſenſiones eſſent ortae inter hunc & Lotharingiae Ducem, qui dulcedine quadam gloriae commotus particeps ejuſdem laudis eſſe voluiſſet, Marſilius ſua prudentia effecit, ut illorum animi pacarentur, laudatuſque plurimum a Caeſare fuit, quod in iſtam pacificationem ſeſe interpoſuerit. Erat ille quidem utrique Imperatori acceptiſſimus, ſed praeſertim amabatur a Lotharingiae Duce, qui etiam petiit a Caeſare, ut ſecum habere poſſet 1689.
Marſilium, cum in expeditionem Rhenanam ipſe proficiſceretur. Sed fortuna non alium deſtinaſſe Marſilio videbatur campum, in quo excurrere ejus virtus cognoſcique poſſet, quam Hunghariam, ubi conſiſtere juſſus eſt a Cae-

ſare, & praeſto eſſe omnibus in rebus Aloy-
1690. ſio Badenae Principi, cui commiſſa fuerat Hungarici belli adminiſtratio. Saepe quidem accidit, ut hic magnitudinem cognitionis & artis in Marſilio admiraretur, qui ad traducendum exercitum ter quaterque pontem in Danubio & Moravo incredibili celeritate fecit, vias in difficillimis locis ſtravit, caſtra & arces praeclaris operibus munitionibuſque ſepſit; qui aliquando cinctum periculis exercitum celeritate conſilii explicavit; & qui in illuſtri victoria, quam Caeſaris arma ad Naiſſum reportarunt, & in tuenda Tranſilvaniae poſſeſſione, quam deſerendam plerique judicabant, oſtendit prae ceteris quam & praelio ſtrenuus eſſet, & conſilio bonus; quae quidem duo raro in uno homine ſociantur, quod alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerum-
1691. que ſoleat. Inclinatis paullulum, culpa magis hominum quam belli fortuna, rebus Caeſaris, viſum eſt neceſſarium, Britannis & Batavis, qui ſe pacificatores offerebant, aures praebere. Quo in negotio non minus quam in bello utilis fuit Caeſari Marſilii opera. Quotquot

fuerunt Britanniae Regis Legato congreſſibus Adrianopoli primum, poſtea Byzantii cum Turcis adfuit Marſilius, ſimulans ſe ejuſdem Legati ſcribam. Venit Viennam, ut de iis, quae agitata fuerant, doceret Caeſarem, qui belli fortunam iterum tentandam eſſe putavit, antequam propoſitae pacis conditiones acciperentur. Commiſſum eſt praelium prope magnum Varadinum, deque committendo Marſilius Caeſaris ad Aloyſium Badenae Principem mandata detulit. Quamvis ſatis proſpere res proceſſerit, non tamen pax eo tempore propter machinationes praeſertim Gallorum, quorum intererat incitare Turcas in Caeſarem, confecta eſt. Non putavit Marſilius ejus conficiendae ſpem eſſe abjiciendam, qua de cauſ- 1692.
ſa plures menſes Byzantii eſt moratus, quos praeſertim conſumpſit in ſtudio rerum naturalium. At ubi res iterum agitari eſt coepta, unice in hanc intendit animum, omnes captans occaſiones Caeſaris utilitati & gloriae proſpiciendi. Inter haec Viennam Byzantio iterum venit, quod nunquam fecit iter, quin vitae periculum adierit. Sed non poſſum Marſilii caſum non dolere, quod ei

majora ſemper a ſuis, quam ab hoſtibus fuerint pericula. Incidit prope Lippam in Germanorum turmam, qui Turcas inſequebantur. Faciunt in eum impetum; tres, quos in comitatu habebat, homines obtruncant; ipſe vero & amicum ſe, & Caeſarianum eſſe fruſtra clamitans, graviſſime in capite vulneratur. Ut agnovit illius turmae ductor Marſilium totus cohorruit, errati veniam ſuppliciter petiit, nihilque non egit ut vulnera ſanarentur. Dum tempus conſumebatur in agitanda pace Viennae & Byzantii, bello ut antea teterrimo flagrabat Hungaria; dolebatque maxime Marſilius novo tum militiae gradu decoratus, novaequae gloriae avidiſſimus, quod eſſent impedimenta, quae profectionem
1693. ſuam in illud regnum retardarent. Cum ſe iis expediiſſet, venit in caſtra, judicaruntque duces, quibus ſumma imperii commiſsa erat, illum opportune adveniſſe. Molitus in primis eſt cum labore operoſo & moleſto, ne obſtarent Danubii & Dravi eluviones ad contrahendum exercitum in planitie, quae eſt inter Danubium ipſum & Tibiſcum. Hoc facto, ſupererant alia impedimenta, cum deliberaſsent

Imperatores Petervaradinum progredi; ſed illa omnia virtute Marſilii, cui natura ipſa libenter parere videbatur, ſuperata ſunt. Mirabilis praeſertim erat induſtria illius in avertendis fluminibus, ac non ſemel celeritate incredibili eo rem deduxit, ut quae cum altitudine tum rapiditate aquae vix pede tentari poſſe putabantur, poſſent tamen atque auderunt milites tranſire. Interea de obſidendo Tauruno, quod in hoſtium poteſtatem reciderat, conſulitur, ad quam rem faciendam minime inclinavit ſententia Marſilii. Intelligebat enim fruſtra id tentatum iri, quamdiu hoſtes Temeſvariae conſiſterent. Exitus comprobavit veritatem illius conſiliorum (1) cumque obſidione relicta, exercitus ſeſe Petervaradinum recepiſſet, quo firmius eſſet hujus arcis praeſidium, mandatur Marſilio, ut illam novis

(1) *Da ciò imparino*, ita ſcriptum reliquit Marſilius, *i poſteri che per chiudere Belgrado conviene farſi padroni di tutta la ripa di Temiſvar, cominciando dalla dirittura dell' Iſola di Sajan poſta al confluſſo del Savo, ſino alla dirittura del principio della linea di circonvallazione del campo principale, che formerà l' aſſedio, unendo anche queſte linee con un ponte di barche da traſportarſi con li carri dal Savo; oppure dovraſſi prima d' intraprendere l' impreſa di Belgrado, eſſerſi aſſicurati di Temiſvar.*

operibus muniat, ac vetera inſtauret. Id praeſtitit antequam exercitus in hiberna mitteretur; ipſeque cum ſua cohorte Peſti hyemavit,
1694.
quae ſtatio eidem ad contexendum opus de vegetatione metallorum fuit peropportuna. Primo vere Tibiſcum ab hoſtibus defendit, ſepſitque magnis operibus locum, quo Mareſcalcus Caprara caſtra poſuerat: majora etiam inſequentibus temporibus acturus, ob quae commodiori in ſtatu res fuiſſent Caeſaris, ſi ſua valuiſſent conſilia. Haec inclinatio rerum eo tempore accidit, quo maxime a Turcis ti-
1695. mendum eſſe videbatur. Etenim illorum regnum occupaverat Muſtapha II. homo, in quo multae bonaeque artes animi & corporis erant; florens aetate, acri ingenio, patiens laborum, ſatis providens, belli haud ignarus, firmiſſimus contra pericula & inſidias, qui magni intereſſe putavit tantas videri Turcici imperii facultates, ut ſi quid eſſet in bello detrimentum acceptum, non modo id brevi tempore ſarciri, ſed etiam majoribus adaugeri copiis poſſet. Huic Hungariam cum
1696. magna manu ingredienti obvius fuit Frid. Auguſtus Elector Saxoniae, fortiſſimus ſane Dux,

qui foedus cum Ceſare ea conditione ſanxerat, ut ipſe ſummo cum imperio exercitui praeeſſet. Multum hunc opera & conſilio juvit Marſilius; & quamvis non ſemper proſperos habuerint exitus arma Caeſaris, nunquam tamen non debita virtuti Marſilii praeconia Elector impertivit (1). Sed haec quo erant honorificentiora, eo magis iram invidorum, quos multos habebat Marſilius, accenderunt. Ex his nonnulli erant occulti, alii palam & prave invehebantur in illum, nec dubitavit is, qui in ipſa Marſilii cohorte proximum poſt eum tenebat honoris gradum, criminari tribunum ſuum (Columnellum dicimus) apud ſummum belli magiſtratum de nimia duritie ac crudelitate in milites, deque debita militari aerario pecuniae ſumma. Favit ejus accuſationi inimicus Marſilii Staremberghius, qui eidem magiſtratui praeerat. At homini, qui & ceteris ornamentis, & exi-

(1) Inter cetera haec Electoris merentur verba referri; *che ſe nella ſcorſa campagna ſi foſſe creduto e fatto quanto il Con. Marſigli avea propoſto, gli affari di ſua Maeſtà, e la ſua gloria particolare ſarebbe ſtata in altra poſitura, nè il povero Cavaliero avrebbe ſoffetto tante veſſazioni.* Mem. del General Marſil. p. 153.

ſtimatione juſtitiae & innocentiae ſemper floruit, facile fuit hujuſmodi accuſationes diſſi-
1697. pare: tales etiam fuerunt declarationes Caeſaris in ipſum, ut ex inimicorum malevolentia non calamitatem, ſed gloriam reportaſſe videretur. Nec ſolum verbis, ſed etiam factis, frémente licet Staremberghio, declaravit Caeſar quantum fideret Marſilio. Hunc enim de pacis conditionibus, quae iterum proponebantur, conſuluit, voluitque iis adeſſe,
1698. quibus legationem pacificatoriam dederat. Mirabilis utilitatis fructum praebuit Marſilius tum ipſi Caeſari, tum Venetis in hoc difficillimo negotio, cujus tractatio ad triginta fere menſes ducta eſt. Inter haec Carolovitio, ubi colloquia de pace habebantur, ſemel interumque Viennam concedere debuit. Nunquam putaſſet in periculum vitae ſe committere iter
1699. hujuſmodi ſuſcipiens. Sed paratas a potentibus viris inſidias offendit, quibus profecto interfectus fuiſſet, niſi eum noctis tenebrae, proditorum error, & famuli mors illaeſum ſervaſſent. Haec & alia perpeti debuit pro ſua virtute, proque ſuo ſingulari perpetuoque ſtudio in res Caeſaris. Pace facta, cum con-

ſtituendi eſſent imperii Turcici fines in Hungaria & Dalmatia, legatus ad eam rem Marſilius a Caeſare deligitur. Fuit haec illi legatio cum ad nominis famam ſplendidiſſima, tum vero peropportuna ad magnitudinem animi oſtendendam. Dalmatiae fines perluſtrans in 1700.
locum venit, qui non longe aberat ab oppidulo, ubi eum captum duo Turcae in vinculis detinuerant. Sciſcitatus de his, ut eos vivere intellexit, venire ad ſe juſſit. Pavidi primum acceſſere, poſtea ejus humanitate confirmati opem ab ipſo petere non dubitarunt. Vitam enim in egeſtate degebant; neque ex ea pecunia, quae pro Marſilii libertate ſoluta fuerat, ad eos quidquam Praefecti fraude pervenerat. Commiſeratus illorum fortunam Marſilius, quos habebat nummos dedit ad illam ſublevandam. Neque hoc contentus ſcripſit ad eum, qui maximam ſecundum Regem poteſtatem habebat (Turcae Viſirem vocant) etiam atque etiam rogans, ut illorum patrocinium ſuſcipere vellet. Viſir virtutem hominis admirans plus fecit, quam ille petierat, Turcasque illos ſingularibus beneficiis auxit. Interim cum negotium, cujus cauſſa venerat, de conſti-

tuendis imperii Turcici finibus feliciter magnaque cum gloria confeciſſet, Viennam ad Caeſa-
1701. rem rediit, ineunte anno MDCCI. ab eoque praemium prudentiae, fidei virtutiſque accepit, magiſter equitum dictus. Paullo poſt bello
1702. inter Caeſarem Galloſque exorto, Marſilius quoque rediit ad arma, optimiſque conſiliis mirum quantum profuit Joſepho Romanorum Regi ad oppugnandam Landaviam. Sed neceſſe fuit dicere ea, quae minime placuerunt Badenae Principi, a quo illa oppugnatio minus feliciter incoepta fuerat. Porro ita erat natura comparatus Marſilius, ut nunquam praecidere ſibi potuerit quamdam licentiam libertatemque loquendi; & hoc in primis videbatur gloriari, quod ſine amore, ſine cupiditate, ſine odio, ſine invidia judicaret. Hi mores eſſe non poterant ſine multorum offenſione, qui illius perdendi omnes occaſiones captabant. Saepe, ut diximus, de illorum inſidiis triumphavit; poſtremo a fortuna, minime vero a ſe ipſo deſertus cedere, faſceſque ſummittere coactus eſt. Sed ab initio res eſt ordienda. Galli exercitum in fines Germanorum introduxerant, aperteque ſignificabant ſe

velle Briſaci arcem, quam Germaniae januam appellare ſolebat Richelieuſius Cardinalis, obſidere atque oppugnare. Collocatur Marſilius cum ſua cohorte in praeſidiis ejuſdem, ita tamen ut principatum teneret Comes Arcus ejuſdem arcis praefectus, perpetuuſque Marſilii inimicus: ex qua conjunctione diſcordias ad utrumque evertendum fatales obventuras invidi ſperabant. Neque eos ſpes fefellit. Cum intelligeret Marſilius, ſi Galli adventaſſent, anguſtiſſimo loco futuram rem eſſe propter propugnatorum tormentorumque bellicorum paucitatem, & commeatus inopiam, litteras ad exercitum mittere non deſtitit, quibus de rerum ſtatu, quos oportebat, doceret; auxilia peteret, ſine quibus teneri arcem diutius poſſe omnino negabat. Nihil impetravit. Neque tamen animum deſpondit, intentuſque ad obſiſtendum non minus apertis inimicis, quam inſidioſis amicis, multa ſane opportune & fideliter fecit. Haec Arcum irritabant, qui nihil a Gallis timendum eſſe dicebat, eoque res proceſſit, ut poenam iis minitatus ſit, qui Marſilii dictis audientes fuiſſent. Arx interim obſidione clauſa. Ger-

mani cum primos Gallorum impetus ſuſtinuiſſent brevi in ſummas anguſtias adducti ſunt. Tum fortaſſe dolens Praefectus ſe non paruiſſe conſiliis Marſilii, deſperanſque de ſubſidiis, quae a Badenae Principe petierat, rem ad conſilium detulit. Senſerunt omnes ſibi praeter honeſtam deditionem nihil eſſe reliqui, miſſique ad hoſtes ſunt, qui de conditionibus agerent. Badenae Princeps, ubi de Briſaci deditione cognovit, deditios ignaviae accuſatos cauſſam dicere coegit. Damnatum capite arcis Praefectum, poenam ſequi oportuit. Id fuit XII. Kal. Martias an. MDCCIV. quo die etiam Marſilius gladium ſuum, quem tot victoriae nobilitaverant a carnifice fractum, ſeque omnibus honoribus ac bonis ſpoliatum vidit. Iniquiſſima haec bellorum conditio eſt, proſpera omnes ſibi vindicant, adverſa uni alterive imputantur. Sed illa ignominia non fregit animum Marſilii. Viennam petiit ſperans adeundi Caeſaris facultatem ſibi datum iri, ab eoque impetrandi alii ut judices cauſſam recognoſcerent. Sed tantum potuere malevoli, ut ei omnis aditus intercluſus fuerit, perinde ac ſi factum ipſius plenum

eſſet flagitii atque dedecoris. Hac ſpe praeciſa, poſtquam plures menſes fuſtra Viennae conſumpſerat, in Helvetiam ſe contulit; ubi vulgato libello pro ſui defenſione, quam apud Caeſarem non potuit, eamdem cauſſam egit apud omnes. Ipſi Gallorum Praefecti cum Briſaci arcem cepiſſent, totamque, ut ſit, perluſtraſſent, ſanctiſſime teſtabantur non debuiſſe illam pro militari jure defendi, quod idem Vobanus, homo, ſi quis unquam alius, belli peritus affirmabat. Sed quaeſtio exercita aſpere ex paucorum libidine, in qua homo, qui ad gloriam virtutis via graſſatus fuerat, ita ſe geſſit, ut oſtenderit ſe non fortunae egere, quippe probitatem, induſtriam, alias bonas artes neque dare, neque eripere poſſet. Poſt haec Luteriam Pariſiorum venit; & liberalitate ac beneficio Ludovici Magni ea accepit, ut nihil perdidiſſe, ſed dignitate, gratia, honore auctior eſſe videretur. Sed haec quamvis honorificentiſſima, & ad judicandum de illius moribus ac factis maxime idonea, non tamen perinde amabat, ac vitae ſtatum, in quo remotus a ſtudiis ambitionis otium & tranquillitatem unice ſequi

poſſet. Locum quietis pleniſſimum fore putavit Montem Peſſulanum, ibique aliquandiu conſedit; ſed cum ibi quoque ſalutaretur, appeteretur, diduceretur a multis, abdidit ſeſe in amoenum & ſalubre oppidulum Provinciae, quod non longe a Maſſilia abest. Caſſen vocant. Ibi agreſtem pene, jucundam tamen degebat vitam iis voluptatibus fruens, quas natura abunde nobis comparavit, quaeque homine philoſopho haud ſunt indignae. Oblectabat ſe cultione horti, in quo multae erant arbores ſua manu ſatae, imitans exemplum Cyri Minoris Perſarum Regis ingenio atque imperii gloria praeſtantiſſimi, cui nihil tam regale videbatur, quam ſtudium agri colendi. Amoenitates orarum & litorum ad ambulationes illum invitabant: delectabatur piſcatu, tum ad piſces, tum ad quaelibet marina corpora captanda (maris enim phyſicam hiſtoriam conſcribendam ſuſceperat) & ita vivebat cum infimis, ut pari jure cum iis ſociari ſe velle videretur, nullumque retineret veſtigium priſtinae dignitatis. Cum Maſſiliam aliquando veniſſet, eſſetque in portu, navigium eo recenter appulſum conſiderans, inter

ter remiges, quorum multi erant Turcae, forte agnovit eum, qui ſe olim in ſervitutem redactum manicis, pedicisſque ſingulis noctibus vinciebat. Viciſſim Turca Marſilium agnovit, & adſpectu hominis, quem olim male habuerat, perterritus, ſummiſſis genibus, ululantique voce opem ejus implorare, & in quas incidiſſet miſerias, oſtendere. Non prius ille conatus eſt miſericordiam Marſilio commovere, quam hic eſt miſericordia captus. Itaque, qua potuit, pecunia captivum donavit, & per eos, qui rei maritimae in Gallia praeerant, libertatem eidem a Rege impetravit. Nihil hoc facto, ſiquid judico, praeclarius, quod multorum triumphis non dubitaverim anteponere. Porro Sapientia, omnium falſarum opinionum temeritate vanitateque dirempta, certiſſimam ſe ducem praebuiſſe Marſilio videbatur in otio ac ſolitudine Caſſis, ubi duobus & amplius annis fuit. Cauſſa illinc diſcedendi juſſa fuerunt ſummi Pontificis, qui cum bellum adverſus Caeſarem ſuſcepiſſet, ejus principatum penes Marſilium eſſe volebat. Arceſſiti ab agris & a villa fuerunt L. Quintius Cincinnatus, M. Curius, aliique plures, ut eo-

C

rum juſſu exercitus ducerentur; quod quidem iis accidit glorioſum. Sed minime laudem conſecutus eſt Marſilius ex ſua evocatione; quin immo indecoram ipſam non dubitabis dicere, ſi ſpectes, quibus imperandum fuerit copiis, cum quo dimicandum hoſte, qui belli apparatus, qui demum illius exitus fuerit. Melius quidem Marſilii famae conſuluiſſem, ſi haec ſilentio praetereunda eſſe putaſſem. In his malis hoc tamen boni eſt aſſecutus Marſilius, ut in patriam redierit, cui poſtea ita vixit, ut in ea ornanda omnem ſuam curam, cogitationem, operam poſuiſſe viſus fuerit. Iamdiu in animum induxerat de ſcientiarum atque artium *Inſtituto* condendo, qua inſtitutione quinque praecipue facultates augere atque amplificare volebat, aſtronomiam, chemiam, naturalem hiſtoriam, phyſicam, & militarem architecturam, quod has ceteris ſtudiis & artibus antecedere judicaret. Incredibile eſt, quae & quanta ad eam rem collegerit, occaſionem nactus itinerum ſuorum. His addidit magnum librorum numerum, & antiquitatis monumenta quaedam, ut nihil relinqueret, in quo aliquid eruditionis & doctrinae eſſet. Hac ſupellecti-

le domum ſuam ornavit, in qua ſpeculam etiam aſtronomicam deſiderari noluit. Exaedificationi praefuit Euſtachius Manfredius, cui Marſilius rerum ſuarum ex Germania advectarum dederat procurationem, tum ad illius, tum ad aliorum uſus. Ex hoc tempore Marſilii aedes magna quotidie doctorum hominum frequentia celebrari coeperunt, & dum ſibi ob hanc rem ille gratularetur, eorum miſereri ſortem videbatur, qui pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino relicturi ſint. Migravit poſtea ob lites & jurgia cum fratre & propinquis e propria in alienam domum, in quam divitias ſuas (ſic appellabat inſtrumenta ad praeſtantiſſimas excolendas diſciplinas) tranſtulit. Ipſe rationem ordinis & diſponendarum rerum praeſcripſit; & quoties majori quadam opus eſſet vel arte, vel diligentia, habebat doctiſſimos viros, quorum opera uteretur. Sed patriae charitas, & gloriae amor (gloriam enim, ad quam a pueritia inflammatus fuit, omni cura atque induſtria conſequebatur) ad majora etiam facienda ſtimulabant Marſilium. Egit itaque cum Senatu de univerſa ſupellecti-

le civitati donanda, ampliori nobiliorique in loco diſponenda, de nova extruenda aſtronomica ſpecula, de elaboratorio chymico parando, deque Doctoribus creandis, qui ſtudioſis adoleſcentibus praeeſſent. Ut favere Senatum vidit Marſilius optatis ſuis, Romam evolavit, quo a Pontifice approbationem & ſubſidia obtineret. Is erat Marſilius, ut non lente efficere poſſet quod ſibi propoſuerat. Et cum res aliqua in animo illius verſabatur, non ſinebat eum reſpirare & requieſcere, niſi perfecta fuiſſet. Itaque hortari, monere & orare eos omnes non deſtitit, quorum operam utilem eſſe putabat ad rem conficiendam, quam brevi eo adduxit, ut Pontifex vehementer cupere videretur. Cum inter eos, quos oportebat, conveniſſet de conditionibus donationis, haec facta eſt ineunte an. MDCCXII. coram Laurentio Caſſono Cardinali Bononiae Legato & Joſepho Maria de Vaſſe Petramellario Juſtitiae Vexillifero. Atque haec quidem ultima *Inſtituti* origo fuit. Neque multo poſt empta domus totius urbis facile nobiliſſima, in eaque diſpoſita omnia, quae ad aſtronomiam, phyſicam, naturalem hiſtoriam,

& militarem ſcientiam faciunt, aſſignatuſque locus continendis libris, & antiquitatis monumentis, coepta edificari turris aſtronomica, creati Profeſſores, ceterique, qui *Inſtituto* inſervire debebant, alia plura neceſſaria praeparata, quibus omnibus non interfuit ſolum, ſed etiam praefuit Marſilius. Sic condito *Inſtituto*, de adjugendis illi biniis Academiis, quas domi ſuae conſtitutas habebat, Marſilius cogitare coepit. Appellabatur altera *Inquietorum*, quae unde originem traxerit, qua de cauſſa philoſophiae ſe dicaverit, quas mutaverit ſedes, quaſque habuerit viciſſitudines ex iis intelligi poteſt, quae in vita Euſtachii Manfredii perſecuti ſumus. Altera Academia ad picturam, & quae huic finitimae ſunt, ſtatuariam & civilem architecturam pertinebat, quod Marſilius eos, qui in his artibus excellerent, ad ſe convocare conſueverat. Quo primum tempore hujuſmodi conventus celebrari coeperunt (id fuit an. MDCCX.) magno animi & orationis impetu ille praefatus eſt ad Academicos ſuos, ut in ſuam quiſque artem toto pectore incumbere vellet, & acceptam a majoribus gloriam conſervare. Nihil

honorificentius viſum eſt accidere poſſe *Inſtituto*, quam ſi binae hae Academiae penitus implicatae in eo inſiderent, nihilque utrique aptius, quam ſi ſocietatem inter ſe facerent, ſeſeque mutuis auxiliis adjuvarent. His rebus geſtis, una vox erat omnium, excellentem Marſilii in amore patriae virtutem ea praeſtitiſſe, quae a nemine unquam potuiſſent ſperari. Neque ſolum ad tempus maximam utilitatem attulit Marſilius, ſed etiam ad exemplum. Plures enim datis magnificis muneribus, aliqua ex parte in ſocietatem laudum ejuſdem venire poſtularunt. Pro tantis meritis, & ad memoriam ſingularis beneficii conſervandam decrevit Senatus Marſilio ſtatuam celeberrimo in loco ponere. Sed id ſe nullo modo paſſurum palam & publice declaravit, idque tanta oris & vocis conſtantia, ut ſui exorandi cunctis ſpem ademerit. In tanta Marſilii gloria ea acciderunt, a quibus firmum ipſius gravemque animum, tamquam fluctum a ſaxo frangi pene oportuit. Nam frater & propinqui non ſolum domo, quam cum eo communem habebant, ſed etiam omnibus bonis ſpoliare eumdem conabantur. Augebat ejus aegritudinem,

quod ſe deſertum & oppreſſum ab iis videret, a quibus minime conveniebat, quoſque a crudeli judicio deterrere debuiſſet familiae dignitas, ſtudium ſuum erga illos & civitatem univerſam. Ad litem perorandam Romam venit; cumque Pontifici cauſſam itineris expoſuiſſet ab eo ampla ſubſidia habuit, quibus *Inſtituto* proſpiceret (nam nec domeſtico dolore, nec cujuſquam injuria ab illo unquam potuit abduci) & dignitatem ſuam tueretur. Non multum quidem egebat homo philoſophus, qui majorum continentiam diligebat, hujus ſaeculi inſolentiam vituperabat; egebat tamen, cum bonorum omnium poſſeſſione privatus fuiſſet. Mandavit quoque Pontifex Bononiae Legato, ut auctoritate & conſilio cauſſam componeret; ne pateretur litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari; nihilque gratius ſibi fore ſignificavit, quam ſi Marſilium otioſum reddidiſſet. Ejus enim opera uti volebat in arcendis ab litoribus Pontificiae ditionis Africanis piratis, quos recentes victoriae Turcarum in Peloponeſo intoleranda audacia armaverant. Conſuluit huic malo Marſilius coactis copiis, turribus aedificatis, tormentis-

que bellicis diſpoſitis; neque ſolum communi, ſed etiam propriae utilitati inſervivit, cum non pauca hujus rei occaſione ad naturalem hiſtoriam pertinentia collegiſſet, plurimaque ſcitu digna obſervaſſet. Hac de re omni plures epiſtolas ſcripſit ad Joannem Mariam Lanciſium, quae minime in vulgus ſunt editae. Deſcriptionem etiam fecit totius orae maritimae, quae eſt in dominatu Romani Pontificis, hancque affabre in tabulis delineatam Clementi XI. obtulit. Similia fere praeſtitit cum conſultus de dirigendis Rheni aquis, valles Bononienſes inviſiſſet. Liber enim extat cum hac inſcriptione; *Iſtoria fiſica naturale delle valli del Bologneſe*, in quo conficiendo non mediocriter uſus eſt opera viri doctiſſimi Joſephi Montii. Hoc labore incitare ſe poſſe ſperavit doctos homines ad naturalem hiſtoriam totius agri Bononienſis contexendam. Et quidem ipſi per editiſſima Bononienſium & Mutinenſium alpium juga iter facienti, ut locorum ſitus & intervalla, totiuſque regionis adſpectum notaret, quod ſibi neceſſarium eſſe putavit ad praeclarum opus *de ſtructura telluris organica* conficiendum, comitem ſe praebuit Dominicus

Guſmanus Galeatius, qui omnia, quae naturalis hiſtoriae erant, collegit, collectaque variis habitis ſermonibus ad *Inſtituti* Academicos diligentiſſime expoſuit. Dicere ſolitos Galeatium, Montium, Stancarium, Manfredium, alioſque accepimus, nunquam ſe minus otioſos fuiſſe, quam dum verſabantur cum Marſilio; qui quidem cum videret majorem in dies ſingulos conſiliorum ſuorum fructum voluptatemque cives ſuos capere, nullum locum praetermittebat monendi, agendi, providendi. Iter in Aegyptum cogitabat, ut inde praeclara multa ad ſuum ornandum *Inſtitutum* adſportaret. Mox mutato conſilio, quod Adriaticum mare piratarum excurſionibus eſſet infeſtum, curſum in Britanniam & Bataviam eadem de cauſſa direxit. Fuit in eo inexhauſta aviditas rariora noſcendi, comparandique, nec ſatiari potuit, quamvis fortuna abunde faverit illius deſideriis. Nec ſolum magnam rerum naturalium ex America praeſertim advectarum copiam, ſed & libros omnis generis, & typos ad novos imprimendos ſecum adſportavit. Retulit quoque decus & gloriam ex iiſdem regionibus, quod in Regiam Societatem Angli-

canam fuerit aſcriptus, quod cum ſummis viris Newtono, Hallejo, Boerhaavio & Muschembroekio amicitiam inierit, quodque facile typographos invenerit, qui magnificentiſſime imprimendam ſuſceperint *Phyſicam maris hiſtoriam* Gallico ſermone a ſe confectam, & quod multum ceteris antiſtare videtur, opus *de Danubio Pannonico-myſico*. De his duobus operibus nonnulla ſummatim attingendi locum hunc opportunum eſſe arbitramur. Mirantur plerique quid cauſſae fuerit, quare inſcriptus ſit liber *phyſica maris hiſtoria*, cum potius ſpecimen phyſicae maris hiſtoriae appellari debuerit. Non enim omnia, quae ad hujuſmodi hiſtoriam pertinent, perſecutus fuerat Marſilius, nec perſequi poterat, cum circa Provinciae & Occitaniae tantum litus verſatus fuiſſet. Initio operis de maris fundo agit, quem ita continuatum & terrae junctum eſſe dicit, ut mirabilis quaedam ſit ſeries & proportio rerum in univerſo terrae globo. Marini alvei ſtrata a maris fundo uſque ad montium vertices ordinata craſſitie protendi affirmaverat, quod poſtea retractavit, cum comperiſſet, eadem, quo magis ad maris fundum

vergunt, eo craſſiora, & e contrario illa tenuiora eſſe, quae montes in ſuperficie aquarum maris extantes efficiunt. Eorumdem ſtratorum lapideam materiem inveſtiganti perſpectum eſt, eam magis ac magis dureſcere, quo ab aquae ſuperficie longius recedit. Non unum, ſed duplicem maris fundum eſſe dicebat, alterum primigenium, formatum alterum ex concretione diverſorum corporum, quae vel in ipſo mari naſcuntur, vel aliunde illo deferuntur. Multum quidem elaboravit Marſilius, ut id certa demonſtratione omnibus probaret. De aquarum marinarum natura & motu pluribus in ſecunda & tertia operis parte diſſeruit, neque minimum dubitat earum amaritudinem bitumini, quod reſidere dicit in venis alvei, & per aquam diſſolvi, attribuendam eſſe. Tentavit bitumen ab aqua ſeparare. Id cum fruſtra eſſet conatus, injicere ei dubitationem debuiſſet, aut omnino abeſſe, aut tantum non eſſe, quantum huic efficiendae amaritudini neceſſarium eſſe videtur. Felicius ſalium naturam perveſtigavit, in iiſque cauſſam, quam quaerebat (notum eſt enim eamdem praecipue pendere ex illo ma-

rini ſalis genere, cujus baſis, ut chymici loquuntur, eſt terrea) probabilius invenire potuiſſet. Quartam operis partem marinis plantis aſſignavit, illas in molles, lignoſas & lapideas diſtribuens. Retulerat in primam claſſem ramulum quemdam floribus ornatum, quem poſtea eſſe cognovit verum ſcyllae florem caſu in mare delapſum, & corallii ramis, aliiſque marinis purgamentis irretitum. Ceterum marinae plantae plures ipſi occurrerunt, ut algae, fuci, aliaeque molli ſubſtantia donatae, in quibus non ſecus ac in terreſtribus plantis ſemina propriis vaſculis, ſeu capſulis contenta obſervavit. Haec potiſſimum in myrio phyllo pelagico Cluſii, quod Neptuni palmam nuncupavit, ut & in variis fucorum ſpeciebus deprehendit. Marinis plantis, ſi algam excipias, radices denegavit, quod omnes partes earum, apertis ſcilicet viarum oſculis, id ſibi ex aqua maris ſumere poſſe diceret, quo alantur & vigeant. Non equidem inficior marinas plantas plerumque fibroſa radice, qualem in terreſtribus videmus, deſtitutas eſſe; habent tamen propemodum ſingulae peculiarem quamdam latam atque craſſam baſim pro

earumdem magnitudine, quam aut radicem eſſe, aut radicis vices gerere facile dixeris. Quod ad alteram marinarum ſtirpium claſſem pertinet, plures ſane a ſe diligenter obſervatas numerat, neque has lythophytorum, ut Tournefortio placuit, ſed cheratophytorum nomine ex Boerhaavii ſententia appellandas eſſe judicavit. Lythophita tertiae claſſi reſervavit; quodque inter ea corallium ſpecie deceptus eminere putavit, plurima de eo tradenda ſuſcepit. Gloriabatur praeſertim ſe primum omnium flores in corallio vidiſſe, qua de re plurimum laudatus eſt ab Academicis Pariſienſibus, quibus inventum ſuum communicavit. Saepe is quidem obſervaverat corallii ramuſculos, ſi ſtatim ac mari extracti ſunt, in vaſculum vitreum aquae marinae plenum conjiciantur, illico flores albos ex omni parte emittere praeter modum exiguos, & in ſtellarum modum figuratos. Cum de floribus amplius non dubitaret, inveſtigare voluit num eſſet aliqua inter hos flores humorum communicatio. Turget enim corallium recens ſucco quodam lacteo, qui circulationem ei videbatur nonnullam indicare.

Digitized by Google

Rem ergo voluit experiri. Quare cum duos coralliorum ramulos recens e mari eductos ligaminibus ſericis in multos orbes revolutis arctiſſime conſtrinxiſſet, conjecit in vaſculum, quod antea marina aqua repleverat. Continuo flores inter vincula ſerica per totos ramos prodierunt. Quae res Marſilium docuit nulla circulatione fieri ut flores exirent, nec ullam eſſe inter ipſos humorum communicationem. Obſervationes Marſilii hominum ſtudia ad eamdem rem inquirendam incitarunt. Sed non una fuit omnium ſententia. Radicem alii corallio dabant, alii eripiebant: eadem de floribus ratio erat, & de ſucco lacteo, quem qui agnoſcerent, vereri ſe dicebant, ne Marſilius ſucci lactei guttulas cum viderit, vidiſſe ſe flores putaverit. Etenim cum foramina in corallio ex omni parte pateant quamplurima, eademque perexigua, & ad ſtellae ſimilitudinem, ſi ſuccus lacteus undique per haec foramina ſe prodat, guttae ſingulae Marſilianos flores ſic exprimeut, nihil ut ſimilius fingi poſſit. Sed fac veras eſſe Reaumurii & Bonii ſuſpiciones (& veras quidem

eſſe prae ceteris demonſtravit Juſſieus (1)), tum neque flores retinebimus, neque ſimilitudinem ſucco tribuemus ullam; omnia inſectis dabimus. Affirmaverat Marſilius nullum corallium e mari extrahi duplici colorum varietate diſtinctum, quaeque circumferuntur ramis partim albis, partim rubris artificioſo quodam tinctu colorem album duxiſſe. Verum cum ad piſcatum poſtremo rediiſſet, unum tandem vidit corallium in duos ramos, alterum album, rubrum alterum diſtinctum. Sic perſuaſit ſibi, quamvis pleraque corallia ſint rubra, eſſe etiam poſſe quae alba natura ſint, & alia aliis innaſci. In eo etiam ſe ipſum corrigere debere putavit Marſilius, quod affirmaverit corallia ſub mari adhuc deliteſcentia ſic ſemper poſita eſſe, ut baſis ſurſum, rami deorſum ſpectent. Non eſt dubitandum quin ſi quatuor operis partibus, quas modo percurri, vel potius pene prae-

(1) Imperatus omnium primus an. 1599. corallium ceteraque hujuſmodi corpora ad animale regnum, ut dicitur, pertinere docuit. Ejus ſententiam renovavit Peyſſonellius an. 1727. ſed nullo certo allato argumento, quod poſtea abunde fecit Juſſieus. Vid *Adanſon familles des Plantes* Part. I. in Praef. p. 137.

terii, adeo multa ſunt in iis memoria digna, quae huc transferri meruiſſent, quintam addidiſſet Marſilius de animalibus, quae in mari naſcuntur & vivunt, majorem etiam ingenii & induſtriae laudem conſecuturus fuiſſet. Epitomen ipſe totius operis complexus eſt epiſtola quadam ad Chriſtinum Martellinium Venetum, quae eſt in manibus hominum; eademque ferme non multo antea expoſuerat ſuis in commentariis Pariſina Scientiarum Academia, cui exemplar operis miſerat Marſilius. Id quidem plurimum valuiſſe arbitror, ut is in eamdem Academiam cooptaretur; quodque competitor erat Aſcalonenſium Dux, utrumque in Academicorum exterorum, ut vocant, numerum referri juſſit Ludovicus Rex, ita tamen ut nullus electioni locus eſſet, cum iterum vacua fieret ſedes. Haec benignitas auxit in Marſilio deſiderium typis opus illud committendi, nuncupandique Academiae, cum vellet in maximi beneficii memoria vir gratus & pius cognoſci. Non mediocre vero operi ornamentum acceſſit ex Praefatione Boerhaavii, qui ſuaviſſime in Marſilium effundi videtur, ſummis adeo laudibus conatus illius & inven-

inventa in caelum effert. Illa porro laus eſt Marſilii maxima primum omnium (1) res novas & admirabiles inveſtigaſſe; eumdemque rei novitate perculſum, in contemplanda naturae fabrica, partiumque cohaerentia ſimilitudineque terra marique conquirenda, nulli labori pepercisse, ut rebus obſcuriſſimis lumen afferret. At quamvis multa ſint praeclara in ejus ſcriptis, non tamen conceſſerim Boerhaavio naturae ſcientiam per eum valde provectam, cujus rei hanc cauſſam fuiſſe puto, quod ſyſtemata facile amplecteretur, quod in una re minime ſeparatim & patienter elaboraret, quodque nimis multa animo comprehendendi indulgeret ardori. Nec vero ardor iſte in otio ſolum, ſed & in ipſo bello apparebat, quanquam ita magna rei militaris eſſe occupatio ſoleat, ut non multum, Ducibus praeſertim, relinquatur temporis. Sed

(1) Robertus Boylaeus Diſſertationem de fundo maris ante Marſilium ſcripſerat. Expoſuit in ea quae percunctando noverat a nautis & piſcatoribus, ſed haec nil aliud probant niſi inaequalitates eſſe in ipſo maris fundo. Cetera quae ſunt alicujus momenti fruſtra in hoc libro quaeras, ex quo conjici poteſt illum inchoatum potius, quam perfectum a ſummo philoſopho fuiſſe.

nihil difficile eſſe videbatur incredibili ingenii magnitudini; fueruntque ſane multi, qui vix adduci potuerunt, ut crederent, ſex illa magna volumina *de Danubio Pannonico-myſico*, quae ſupra commemoravi, confici a Marſilio potuiſſe iis temporibus, quibus ei cum Turcis, & interdum etiam cum fortuna belligerandum fuit. Iſtud opus non idem rerum genus ubique ſpectat, neque in una facultate conſiſtit, ſed longe lateque pervagatur, ut ex omnium doctrinarum cognitione redundare videatur. Eſt autem latine, ſed ineleganter ſcriptum (neglexit enim ſemper Marſilius elegantiam differendi) in ſex volumina, ut diximus, diſtributum, figuris pulcherrimis, & magnificentiſſima Amſtelodamenſi impreſſione ſpectatiſſimum. Ab an. MDCC. *Prodromum* hujuſce operis vulgaverat Marſilius, & Londinenſi Scentiarum Societati dicaverat. Volumen primum complectitur geographicas, aſtronomicas atque hydrographicas obſervationes, in quibus, ac praeſertim in geographicis tractandis, minutius ſectari omnia voluiſſe videtur, adeo ut qui eas legat non multum deſideret hiſtoriam contextam locorum, qui

a Danubio alluuntur. Quidquid viſendum atque memorabile ex antiquitate permanet prope Danubium, & in Dacia maxime atque Hungaria, perſequitur ſecundo in volumine, eodemque pertinent etiam, quae de ponte a Trajano in Danubio facto ad Bernardum Montfauconium antea ſcripſerat, quaeque *in Ephemerides Litteratorum Italiae*, & *in novum Theſaurum antiquitatum Romanarum* relata fuerunt. Habet tertium volumen arenas, lapides, foſſilia, metalla, quae non in vicinitate ſolum Danubii, ſed vel in remotioribus Hungariae montibus quaeſivit. Neque eo contentus fuit, ut res a ſe viſas deſcriberet, ſed de earum origine, procreatione ac natura multa quoque in medium protulit. Animalibus aquatilibus, volatilibus, & terrenis attribuit quartum, quintum & ſextum volumen, quod poſtremum comprehendit quoque catalogum plantarum, obſervationes meteorologicas, anatomicas deſcriptiones rapacium quarumdam avium, & quae Auctor experimentis ſe deprehendiſſe dicebat ad definiendam naturam ac proprietates aquarum praeſertim Danubii & Tibiſci, earumque curſum, velocitatemque ſummam, me-

diam & imam dimetiendam. Quod ex hac rerum varietate conſtet volumen, *Analectorum* nomen illi ſe dare debere putavit. Immenſi operis imaginem vix adumbraſſe nos arbitramur, cujus partem aliquam ſi quis non probaverit, quod ei aut deſit quidpiam (1), aut aſpergatur maculis, conſideret is oportet magnitudinem, varietatem, multitudinemque rerum, occupationes, quibus diſtrictus fuit Marſilius, nec quidquam difficilius eſſe quam reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Inter arma ortum quoque habuit Marſilii *Diſſertatio de generatione fungorum*, quam ad Jo. Mariam Lanciſium inſtituit. Principio tum veterum, tum recentiorum ſcriptorum ſententias de fungorum generatione narrat, quodque obſervationibus & vero congruere ſibi videtur exponit. Theophraſtus ex antiquis fungos radice penitus carere, & e radicibus arborum, & imbribus copioſe effluentibus ad mare Rubrum erumpere tradidit. Plinius vero ab arborum pituita, acce-

(1) Haec exempli gratia ſcribit Hallerius in Vol II. Biblioth. Bot. pag. 631. *In Tomo IV. continetur catalogus plantarum circa Danubium naſcentium non uberrimus, neque ut reſpondeat expectationi feliciſſimae regionis.*

dente ſucco madentis terrae, ortum eorum repetit. Inter recentiores ſunt qui fungos ex ipſorum fruſtulis huc & illuc a vento diſperſis oriri affirmant, quorum in numero putatur Malpighius, qui tamen in re obſcura incertus eſſe videtur: alii fungorum principium in putreſcentibus corporibus reperiunt, alii demum fungis, ut reliquis vegetabilibus, propria ſemina attribuunt, in iiſque eminent Mentzelius, Bocconus, Sherardus, Porta, Cluſius, & qui rem demonſtraſſe videtur Michelius. Has omnes ſententias repudiat Marſilius, neque dubitanter affirmat fungos ex quorumdam corporum putri oriri. Ubi enim oleoſum eſt aliquid cum ſale nitroſo mixtum, quod pingue dicimus, fermentatur a calore humoreque; fermentatum ſeſe per fibras in lignorum radices inſinuat, ſicque paullatim arbores corrumpuntur atque intereunt. Si fermentum iſtud ſub terra fiat, ex illius ſententia oritur ſitus, prima fungorum ſtamina, inde globuli, qui ſi e terra erumpunt, fungorum formam induunt. Si ſuperficiei corticis ſeſe inſinuet fermentum illud fit fungus mollis; ſi vero internas ligni fibras penetret at-

Digitized by Google

que afficiat, tunc duriores fungi ex materia illa enaſcuntur. Subobſcure hanc generationem fungorum Plinium indicaſſe putat Marſilius, ubi ait: *origo prima e ligno & accedente ſucco madentis terrae, initioque ſpuma lentior, deinde corpus membranae ſimile, deinde partus;* ſed ſibi unice deberi, quod rem involutam obſcuritate naturae magna obſervationum copia apertam fecerit; ex quo intelligi poteſt, obſervationem, quae ad veritatem in rebus phyſicis unice dirigit, niſi magnum obſervatoris acumen accedat, nonnunquam etiam fallere. Quae de fungorum ortu ſcripſit Marſilius, occaſionem dederunt Lanciſio ſuam hac eadem de re exponendi ſententiam, quaque in re hic ab illo diſſideret, ex iis cognoſci poterit, quae in vita ejuſdem Lanciſii expoſuimus. Res quidem idonea, de qua quaercrerur, & homines digni, qui illam inveſtigarent, putabantur. Sed cum uterque obſtinate fungorum ſemina rejecerit, philoſophorum errores non imminuiſſe, ſed auxiſſe potius videntur. Felicius, ut arbitror, anguillarum generationem inveſtigavit Marſilius in ea, quam ad Valliſnerium dedit, epiſtola;

probavitque illas, quamvis paludoſa loca incolent, ova in mari certis anni temporibus relinquere; quique eaſdem vivos foetus edere putaverant, deceptos fuiſſe ſimilitudine quorumdam vermium, qui in anguillis, ut & in aliis animantibus interdum reperiuntur. Sed tempus eſt ut, ceteris Marſilii ſcriptis praetermiſſis, quae in catalogum rejicimus (neque enim ſunt magni momenti) ad *Inſtitutum* revertamur, quod multorum annorum occupationem & gloriam immortalem eidem attulit. Noluit latere intra unius moenia urbis tot res, tamque eximias, quas congeſſerat & fecerat ad illud Sapientiae domicilium condendum, quare hominem Gallum Limierium praemio invitavit ad ejuſdem *Inſtituti* hiſtoriam gallice conſcribendam, quae an. MDCCXXIII. in manus hominum pervenit. Sed quod miraberis inter haec ipſa graves interdum exiſtebant controverſiae, multae naſcebantur injuriae, magnae conſequebantur contentiones, & aliquando Patriam Marſilius deſeruit ſcripto declarans id ſe feciſſe cauſſa ingratorum civium. Nihil quicquam egregium & magnum unquam actum eſt, quin homines minuti &

anguſti, aut omnia ſemper deſperantes, aut invidi & malevoli obſtiterint, quos ut deſpiceret minime a ſe obtinere poterat Marſilius, quod ei facillime animus arderet, & cor comularetur ira. Quaſi illum poenituiſſet ſe Bononiae ex illuſtri familia natum, Marſiliorum cognomen in Aquinorum commutavit, venitque Caſſin, cujus oppidi domicilium aptiſſimum fore ſenectuti ſuae ſperabat, ut fuerat adverſis rebus. Ibi renovavit ſtudia hiſtoriae naturalis; nam vegetum ingenium in vivido corpore virebat adhuc, virebatque integris ſenſibus. Sed non diu frui tanto bono potuit, cum inſequenti anno morbo, quem apoplexin vocant, fuerit tentatus. Reſtitit viribus morbi optima natura; vicitque tandem iratum animum patriae & ſuorum charitas, ſpeſque recuperandi priſtinas vires in patrio caelo. Mors fratris, quae paullo ante acciderat, omnes domeſticas diremerat lites, & naturae ſe debere putavit Marſilius educationem filii, quam ille reliquerat. Primis temporibus, quibus in patria fuit, viſus ſibi eſt tantiſper levari, ſed brevi verſa & mutata ſunt omnia in pejorem partem; quod cum ipſe ſenſiſſet,

venire ad ſe juſſit propinquitate & amicitia conjunctiores, & Matthaeum Bazzanum *Inſtituti* Praeſidem, quos ita allocutus eſt. *Mihi non mea quidem vita maximae curae eſt, cum ſatis diu vel aetate, vel factis, vel gloria vixerim, ſed me ſollicitat patriae charitas, meorumque civium utilitas. Multa quidem providi, multa perfici, maxima conatus ſum: non pauca ſunt, quae reſtant: vos curate; habetis enim minime anguſtum campum, ubi veſtrum ſtudium in me, patriam, doctrinaſque univerſas oſtentetis.* His quoque ſcripta ſua commendavit, in quibus multa erant ad corrigendos, quos ediderat, libros. Nam cum nunquam vacuum animum ad res difficiles ſcribendas attuliſſet, intelligebat ſe egere emendatore & correctore. Viſus eſt ſe fidere maxime Joſepho Montio, homini ſane cum paucis doctrina rerum naturalium comparando (1). Poſt heec nulla alia illi cura fuit, niſi rerum ad religionem ſpectantium. Migravit e vita an. MDCCXXX. Kal. Nov. ſub ortum ſolis. Atque ille quidem moriens

(1) Vid. Part. I. vol. II. de Bon. Scient. & art. Inſtituto atque Ac. comment. pag. 74.

cepit anteactae vitae fructum, cum ita celebratae ejus exequiae fuerint, ut ejus cineribus non privatus, ſed publicus, non aliquorum hominum, ſed omnium ordinum dolor parentaret. Et talia quidem merebatur homo divina mente & virtute, qui ad infinita ſcientiarum inſtrumenta comparanda patrimonium ſuum effudit, quanquam non ſumus uſi eo verbo, quo decuit; non enim effudit, ſed in patriae ſinu collocavit. Pictorum Academia in Aede S. Dominici monumentum poſuit cum imagine & hac inſcriptione.

D. O. M.

ALOYSIO FERDINANDO COMITI
MARSILIO SCIENTIARUM ET ARTIUM
INSTITUTI MAGNIFICENTISSIMO
PROMOTORI
CLEMENTINI ACADEMICI
PATRONO ET PARENTI
OPTIMO

Ejuſdem imaginem in quamplurimis numiſmatis qua argenteis, qua aeneis Academia Philoſophorum imprimi juſſit. Matthaeus Bazzanus oratione, quae eſt in manibus hominum, demortui laudes celebravit, ejuſdemque vitam hiſtoriae mandarunt e Gallis Carolus Hebertus & Fontenellius, e noſtratibus vero Joannes Petrus Zanottus & Joannes Fantuzzius, a cujus ſcripto, ut & ab iis, quae in commentariis Acad. *Inſtituti* de Marſilio recenſuit Franciſcus Maria Zanottus multa in hoc commentariolum tranſtulimus. Omnes quidem uno ore conſenſerunt nihil mediocre, neque ipſa, quae a natura habuit, vitia, fuiſſe in Marſilio. Sed haec ipſa vitia non erant ſine utilitate: itaque reprehendenti ejus iracundiam reſpondit ſe *Inſtitutum ſcientiarum condidiſſe iracunde; expectare jam quid alii conderent leniter*. Pietate in patriam, in parentes & praeceptores neminem parem habuit, & ipſa quoque religio culta ab homine militari eſt ſingularem in modum. Beatam Virginem praeſertim venerabatur, cui ſe debere dicebat, quod e Turcarum manibus (id ei accidit ſolemni Deiparae ab Angelo ſalutatae die) li-

beratus eſſet, & quidquid boni ac proſperi ſibi accidiſſet. Sacellum ei in *Inſtituto* dicavit, decrevitque ut annuum feſtum cum ſupplicatione ibi perageretur, tum ad ejuſdem Virginis, tum ad S. Thomae Aquinatis, quem etiam colebat maxime, memoriam celebrandam. Satis multa diximus, quae probant illum fuiſſe ſupra modum liberalem, ſui judicii, ſincerum & candidum adeo, ut illi cor non ſolum cum verbis, ſed cum oculorum adſpectu ſemper conſentiret. Sive proſperam ſive adverſam experiretur fortunam vir fortis & conſtans in optima ſemper ratione vitae fuit, nec a ſe ipſo unquam diſceſſit. Is fuit Marſilius, homo uti animo, ſic corpore magno, imperatoriaque forma, ut ipſo adſpectu cuivis injiceret admirationem ſui.

OPERA EDITA.

Oſſervazioni intorno al Boſforo Tracio ovvero Canale di Coſtantinopoli, rappreſentate in lettera alla Sacra Real Maeſtà di Criſtina Regina di Svezia. In Roma per Niccolò Angelo Tinaſſi 1681. *in* 4.

Bevanda Aſiatica ec. all' Eminentiſs. Bonviſi Nunzio Apoſtolico appreſſo la Maeſtà dell' Imperadore ec. da Luigi Ferdinando Marſigli, che narra l' iſtoria medica del Cavè o ſia Caſſè. Vienna d' Auſtria preſſo Gio. Van-Ghelen 1685. *in* 12.

Diſſertazione epiſtolare del Fosforo minerale, o ſia della pietra illuminabile Bologneſe a' ſapienti ed eruditi Signori Collettori dell' ACTA ERUDITORUM *di Lipſia ſcritta da Luigi Con. Ferdinando Marſigli di S. C. R. M. Cameriere, e Colonnello di un Reggimento di Fanteria. Lipſia* 1698. *in* 4. Hanc diſſertationem in Latinum convertit Chriſtianus Eſchembachius, ediditque iterum Lipſiae an. 1702.

Aloyſii Ferdinandi Co. Marſilii Danubialis operis Prodromus ad Regiam Societatem Anglicanam auſpicio anni ac ſaeculi novi 1700. Excuſus Norimbergiae apud Joannis Andreae Endteri filios impenſis Auctoris, in fol.

Informazione di quanto è accaduto nell' affare della reſa di Briſaco, colle poſtille reſponſive alla contronotata Scrittura di Autore Anonimo, intitolata: Innocenza immaginaria di ambi i Generali d' Arco, e Marſigli a cauſa della troppo precipitata reſa della importantiſſima Fortezza di Briſaco. Italice & Germanice ſcripta haec defenſio; edita vero an. 1705. in 4. Edidit quoque Marſilius eodem an. alia quaedam pro ſui defenſione, & haec Italice & Gallice ſcripſit.

Lettre écrite de Caſſis près de Marſeille le 18. *Decem-*

bre 1706. à M. l'Abbé Bignon touchant quelques branches de Corail qui ont fleuri. Extat in ſupplement. Ephemeridum *des Savans* menſ. Feb. 1707.

Memoire envoyée de Marſeill: le 21. Fevrier 1707. a M. l'Abbé Bignon pour ſervir de confirmation a la decouverte de fleurs de Corail. Relata eſt in eaſdem Ephemerides menſ. Maii. *Obſervations ſur l'analyſe des plantes marines, & principalement du corail rouge.* Vid. hiſtoriam Regiae Scientiarum Academiae pag. 48. & 69.

Extrait de l'Eſſay phyſique ſur l'Hiſtoire de la mer. Extat in hiſtoria Regiae Scientiarum Academiae an. 1720. p. 25.

Breve riſtretto del Saggio fiſico intorno alla ſtoria del mare ſcritta alla Regia Società di Parigi, ora eſpoſto in una lettera all' Eccell. Sig. Criſtino Martinelli Nob. Veneto. Annotazioni intorno alla grana de' Tintori, detta Kermes, in una lettera all' Illuſtriſs. Sig. Antonio Maria Valliſnieri pubblico Lettore di Padova in 4. con figure in rame. Venezia 1711. per Andrea Poletti.

Diſſertatio de generatione fungorum ad Illuſtriſs. & Rev. Praeſulem Jo. Mariam Lanciſium Clem. XI. P. O. M. Archiatrum & cubicularium intimum, cui accedit ejuſdem reſponſio una cum Diſſertatione de Plinianae villae ruderibus atque Oſtienſis litoris incremento. Romae 1714. ex officina typographica Franciſci Gonzagae in Via lata in fol.

Lettera intorno al ponte fatto ſul Danubio ſotto l' Imperio di Trajano indirizzata al R. P. D. Bernardo di Montfaucon in data di Roma 27. Aprile 1715. Extat in vol. XXII. Ephemerid. Litteratorum Italiae, & in novo Theſauro Antiquitat. Rom.

Lettera ſcritta al Sig. Antonio Valliſneri intorno all' o-

rigine delle Anguille in data de' 21. Giugno 1717. Extat in vol. XXIX. earumdem Ephemeridum.

Hiſtoire Phyſique de la mer ouvrage enrichi de figures deſſinées d'après le naturel par Louis Ferdinando Comte de Marſigli membre dell'Accademie Royale des Sciences de Paris. Amſterdam aux depens de la Compagnie 1725. in fol.

Danubius Pannonico-myſicus obſervationibus geographicis, aſtronomicis, hydrographicis, hiſtoricis, phyſicis perluſtratus, & in ſex tomos digeſtus ab Aloyſio Ferdinando Comite Marſilio Socio Regiarum Societatum Pariſienſis, Londinenſis, Monſpelienſis. Hagae Comitum apud P. Goſſe, R. Chr. Alberts P. de Hondt. Amſtelodami apud Herm. Vytwer & Franc. Changuion 1726. fol. atlantico.

L'Etat militaire de l'Empire Ottoman, ſes progres, & ſa decadence par M. le Comte de Marſigli de l'Academie Royales des Sciences de Paris, & de Montpellier, de la Societé Royale de Londres, & Fondateur de l'Inſtitut de Boulogne. Ouvrage enrichi de Planches en taille douce. Premiere partie. A le Haye chez Pierre Coſſe, e Joan Neaulme Pierre de Hondt. Adrien Moetjens. A Amſterdam chez Herm. Vytwer Franc-Changuion. 1732. in fol.

Lettera al Sig. Antonio Valliſneri intorno al Monte Bolca. Totam regionem deſcribit & de marinis corporibus, quae ibi reperiuntur, non pauca profert. Putat Marſilius tot marina corpora, quibus plures montes abundant minime translata fuiſſe a diluvii aquis, qua in re Valiſnerius cum Marſilio conſentire videtur. Extat in vol. II. operum Valiſnerii p. 359.

Lettera al Canonico Paolo Gagliardi. In hac epiſtola Marſilius quaedam exponit, quae pertinent ad opus, quod habebat in manibus *de telluris ſtructura organica*, & nonnulla

etiam tangit ad antiquitatem ſpectantia. Extat in libro, cujus eſt inſcriptio: *Memorie iſtorico-critiche intorno all' antico ſtato de' Cenomeni, ed al loro confine raccolte dell' Abate Sambuca. Breſcia* 1750.

Plures epiſtolas Marſilii retulit in volumen vitae ejusdem Marſilii Joannes Fantuzzius, a quo viri docti multo majorem numerum epiſtolarum, & opera quaedam Marſilii inedita expectant, vel potius exigunt. Haec enim ſe in vulgus brevi editurum pollicitus eſt.

Digitized by Google

ANTONIUS MARIA VALSALVA. (1)

ANtonius Maria Valſalva, ſi magnos Anatomicos inventis metimur, nemini ſua aetate ſecundus fuit; ſi ſolertia, ſtudio, labore, eximiaque humani corporis ſcientia, vix aliquos ſibi habuit pares. Nam quicunque in ejuſmodi judiciis, non ut vulgus, fortunam, ſed induſtriam potiſſimum, & hac partam rerum doctrinam ſpectare ſolent, hi ſi Valſalvae vitam cognoſcant, & ad ea; quae natura tribuerat, quot quantaque a pueritia ad extremum tempus adjumenta addiderit aſſiduae exercitationis ſciant, & quae ſive meditando, ſive medici, chirurgique partes ſuſtinendo, praeclara ediderit ſigna excellentis cujuſdam in re anatomica facultatis, non ignorent ſane illa tempeſtate anteferendum ipſi neminem, perpaucos comparandos putabunt. Sed ab initio eſt ordiendum. Forum Cornelii, quod ſequioribus ſaeculis *Imola* coeptum eſt nomina-

(1) Hujus vitae auctor eſt Jo. Baptiſta Morgagnius.

ri, in eo Ciſpadanae Galliae tractu, quem nunc *Romandiolam* vocant, urbs eſt impoſita Aemiliae viae: qua ex urbe tum ſuperioribus, tum noſtris temporibus viri extitere generis nobilitate, virtute, doctrina ornatiſſimi. In ea Antonius eſt natus anno Aerae Chriſtianae MDCLXVI. XV. Kal. Februarii, patre Pompejo Valſalva, matre Catharina Toſia. Familia Toſia, inter Forocornelienſes nobilis, in ea matrona finem habuit. Paternae autem ſtirpis initium olim & agnomen fuerat ex Valſalva, quod ſupra Forum Cornelii erat caſtrum ad ſiniſtram Vatreni fluminis. Nam verum quidem ejus ſtirpis nomen eſt Finia. Certe cum Tuſſignani eſſet, quod propter eumdem amnem, ſed aliquanto inferius eſt oppidum, id nomen geſſiſſe apparet ex diplomate in membrana ſcripto, quo ſtrenuus miles Joannes Baptiſta Finius (is ex majoribus Pompeji fuerat) Alidoſiae gentis ſtemmate donatus eſt. Id ſtemma, ſi quod aliud, Forocornelienſibus notum, propterea quia his Alidoſii, centum annis amplius imperitaverant, in vetuſto apud ipſos Valſalvae proavorum ſepulcro inſculptum viſitur. Quibus, poſteris,

que eorum ſtirpis nomen, ut fit, obſolevit; agnomen ſervatum eſt. Antonii parentes, qua ipſi erant in Deum pietate, in homines comitate, eadem filium imbuerunt. Acceſſit cura & diligentia virorum, ſimul in conformandis primae aetatis moribus, ſimul in litteris praemonſtrandis excellentium, Patrum e Societate Jeſu, quorum beneficium tanto pluris aeſtimandum, quanto illi a gravioribus, in quibus ſumma cum laude verſantur, ſtudiis ad id officii ſe demittunt, cum pauci admodum, poſtquam ex ephebis exceſſerunt, videantur agnoſcere, memori ipſe quoad vixit, & grato animo eſt proſecutus. Erat in puero ingenium docile, acutum, aptum ad quaslibet artes optimas, ſic tamen, ut ad quam potiſſimum ferretur, non obſcure ſignificaret. Gaudebat enim avicularum, aliorumque animalculorum diſſectionibus, eorumque exta curioſius, quam pro illa aetate, rimabatur: quam, ego praeſignificationem, non in Veſalio (1) tantum, ſed in aliis quoque pueris fuiſſe ſcio, qui cum adoleviſſent, anatomiae penitus ſe dediderunt. Quibus rebus fiebat, ut de eo parentes, a-

(1) Vid. Frcher Theatr. Viror. erud. clar. Part. 3.

micique bene ſperarent, atque adeo talem futurum confiderent, ubi magiſtrorum acceſſiſſent praecepta, qualem & noſtrates, & externae ſcholae ſuſpexerunt. Hac mente Bononiam eſt miſſus. Quod in Gymnaſium ut venit, non magis vetuſtate & fama illuſtre, quam Doctoribus nobile, haud diutius quaerendum fuit adoloſcentulo, mirabili diſcendi cupiditate flagranti, quibus ſe traderet erudiendum. Longe enim praeſtabat omnes in philoſophicis diſputationibus, in herbarumque cognitione vir probitate antiqua praeditus Laelius Trionfetti. Ab hoc utraſque doctus eſt. Ea autem quae de matheſi attigit, a Petro Mengolo, acutiſſimo & ſubtiliſſimo homine, itemque ab Geminiano Rondellio, qui faciliore fuit ingenio, & ad obſcura quaeque Euclidis dilucide tradenda facto. At rei medicae, & quod praecipue quaerebat, anatomicae praeceptorem habuit, qui iis temporibus principatum hujus ſcientiae tenebat, Marcellum Malpighium. Ad hunc quoniam ob graviſſimas, quibus diſtinebatur, ſtudiorum occupationes, & diuturnos, quos eae requirebant, ſeceſſus, non ſemper aditus patebat;

aliis etiam doctoribus utebatur, in hiſque Paullo Salano medico, praeſertim vero Joanne Galeatio Manzio medico & chirurgo experientiſſimo, nec non ceteris, qui in magnis illis Valetudinariis ſive medicaminibus, ſive manu, ſive etiam utriſque medicinam faciebant. His omnibus operam dabat aſſiduus, impiger, laborioſus. Idem, ubi de ſuperiore loco a majoribus natu de iis, quas memoravi, facultatibus ſermo haberetur, aut in contrarias partes diſputaretur, audiendi ſtudioſiſſimus. Idem in diſputationibus, quae inter aequales haberentur, alias reſpondendo, alias contra ea quae propoſita eſſent, dicendo, exercitatiſſimus. Itaque tantum in illis omnibus progreſſum fecit, ut magna cum laude anno MDCLXXXVII. ab ampliſſimis Bononienſium tum Philoſophorum, tum Medicorum Collegiis in albo Doctorum conſcriptus fuerit. Sed poſteaquam iſtam, quam expoſui, ſtudiorum rationem animadvertit magna ex parte magis ad veri ſimilitudinem, quam ad verum perdiſcendum valere, ſe ipſe reprehendit, & obſervationibus potius, ut Malpighius monuerat, quam diſputationibus quaerere abdita naturae conſti-

tuit. Igitur ad eam exercitationem, qua in aegrotantibus morborum notas, progreſſum, exitum & remediorum vires diligenter attenteque adnotabat, alteram adjunxit, ut in iiſdem mortuis quae partes quod vitium haberent, accuratiſſime perſcrutaretur. Quoniam autem hae quid ab recte ſe habentibus diſcreparent, intelligere non poterat, niſi qua ratione ſint eaedem ſecundum naturam conſtitutae, cognitum penitus & perſpectum haberet; perſecare & rimari quaecunque viſcera & membra coepit, quae ſana quidem eſſe conſtaret; neque hominum modo, ſed & ceterorum, quae noſtra terra fert, animalium, ſiquod forte, ut haud raro uſu venit, occurreret, in quo clarior aliqua, & apertior ſtructura eſſet. Ex ſtructura enim actiones partium, atque utilitates, ex his autem ſignificationes eorum, quae in aegrotantibus videmus, intelligi non dubitabat. Quamobrem ut facilius aſſequi illas poſset, vivas quoque ſibi diſſecandas eſſe beſtias, & multa ac varia in iis capienda experimenta animadvertebat. Hae fuerunt cauſſae cur iis potiſſimum ſtudiis ſe daret, ad quae natura etiam, ut ſupra docui, propenſus e-

rat. Quanta autem induſtria, aſſiduitate, contentione ſe dederit, haec ſunt teſtimonia. Illo ipſo anno MDCLXXXVII. jam renem cani exſecare ſciebat ſic ut hic viveret. Quot autem ſive in canibus, ſive in aliis animantibus, cum viverent, pericula fecerit, aut quae in occiſis adnotaverit, quot hominum cadavera inciderit, quot in partibus aut quae ſecundum naturam ſunt, aut quae contra ſe habent, ſit rimatus, cum prope innumeris in chartis ſcripſerit, non minorem tamen numerum conſciis videtur praetermiſiſſe, perſaepe medicis occupationibus impeditus, nonnunquam morbis prohibitus, quos neque paucos, neque leves ex iſtis ipſis graveolentium corporum diſſectionibus eo facilius contrahebat, quod cum reliquis vigeret ſenſibus, ob incredibilem teterrimi odoris patientiam naribus tandem captus fuerat. Sed ea erat cupiditate, eoque ſtudio per Anatomen proficiendi, ut quamvis acutis propterea conflictatus aegrotationibus, extremo in diſcrimine fuerit primum anno MDCLXXXXII. iterum circa annum MDCC., quamvis antea ad tantam maciem, gracilis per ſe juvenis redactus eſſet,

ut accedente tuſſicula, & ſalſi ad fauces humoris defluxu, nemo eſſet medicorum, qui non tabidum mox fore metueret, nemo amicorum, qui non rogaret, ſibi ut tandem parceret, inſtitutumque periculoſum dimitteret; tamen ne poſt haec quidem diſſectionum finem fecerit; imo quotieſcumque occaſio data eſt, quo annis ſuperioribus, eodem & inſequentibus incredibili mentis ardore ad verum inquirendum actus, dies noctesque inter cadavera eſt verſatus. Atque hoc loco non eſt praetereundum quod vel tum fecerat, cum olfaciendi ſenſu apprime uteretur. Eſt enim ejusmodi, ut ex eo uno conjici poſſint cetera, quae perpeti non dubitabat, ut ſuo illi ſtudio indulgeret. Ex ſummo cadaveris femore exſecuerat quidquid longi dirique morbi fuerat ſedes, exſectumque domum miſerat, ut fere ſolebat, quo diligentius examinaret. Cum totus in eo eſſet, plerisque jam ſatis inſpectis, ſubito in proximam urbem ad viri primarii curationem accerſitus, quod reliquum erat in aquam, ſubinde mutandam, conjicere, & in reditum differre cogitur. Serius quam ſperaverat, Bononiam reverſus, nihiloſecius quae

reliquerat in manus ſumpſit; neque antea poſuit quam plane intelligeret, fruſtra ſibi operam eſſe ſumptam, niſi is nervus, qui omnium eſt craſſiſſimus, quomodo ſupra infraque exſectam partem ſe haberet, pro certo cognoſceret. Quid faceret? Erat aeſtas ſumma, tempeſtas fervidiſſima, dies autem jam decimus tertius poſtquam cadaver ſepultum fuerat. Auſus eſt tamen de eo eruendo veſpillones appellare. Negantibus ceteris, vix unum blandis precibus, magnoque praeſertim pretio exorat. Protrahitur luridum, informe, taboque diffluens cadaver. Graveolentia abſterritus intoleranda recedit veſpillo. Sed intrepidus accedit Valſalva: quae vult inquirit ac perſequitur, nec abſiſtit prius, quam ſatis ſibi ſuperque faciat. Multa ego audivi, multa legi de Veſalio (1), de Ruyſchio (2), de aliis, qui ſupra quam credi poſſit anatomen adamarunt. Incredibilia, cum eſſent juvenes, auſos illos, & perpeſſos non nego. Hoc nego aut unquam, aut certe cum viri eſſent facti, nactique jam magnam in anatomicis re-

(1) Vid. ejus Epiſtolam de Rad. Chyn.

(2) Vid. ejus Adverſ. Anat. Dec. 2. in fin.

bus, & medicis, ac chirurgicis ſcientiam, auctoritatemque pertuliſſe. Sic enim Valſalva diſſectionum fuerat ſtudio incenſus, ut cetera non omitteret, quae egregio in medico, chirurgove requiruntur. Quorum pleraque ſupra ſunt a nobis commemorata. Ad ea acceſſerat ſingularis cura in remediorum materia, eorumque natura, & facultatibus cognoſcendis; ob eamque cauſſam, quae cautiores prodiderunt chymici, non neglexerat. Quibus in rebus ut facile multumque proficeret, intima amicitia fecerat, quam adoleſcens cum aliquanto adultiore conjunxerat Petro Molinellio, quem multo doctiſſimum fuiſſe rerum illarum vere videor poſſe contendere, neque minus experientem medicum, & in optimi cujuſque medicinae ſcriptoris voluminibus noſcendis aeque ac perlegendis verſatum. Utebatur etiam intime Hippolyto Franciſco Albertino, qui in medendo ut ſagax, diligens, cautuſque fuerit, cum ejus opuſcula (1), quamvis perpaucula ſatis oſtendant, hic nihil attinet docere. Hi, ſiqui alii, inter ſe, & cum Valſalva conjuncti, ut pleriſque hujus

(1) Vid. cum Bonon. Inſt. Sc. Acad. Commentar.

intererant diſſectionibus, ſic viciſſim ſuas cum eo animadverſiones obſervationeſque communicabant; vel potius tres una eaſdem, iis quidem annis, inſtituebant, ſimul in valetudinariis, ſimul domi illud omne tempus tribuentes ſtudiis optimis, quod alii plerique juvenes in pravis, aut inutilibus conſumebant. Etſi haec, ut diximus, ita ſe habebant, tamen cum inter ceteras Valſalvae exercitationes illa praecipue emineret, qua jam pleriſque praeſtabat medicis, anatomia, effugere non potuit, primis illis temporibus, nonnullorum miſtas cum laudibus obtrectationes, ut praeclaris viris perſaepe accidit, qui aut philologiae, aut matheſis, aut rei chymicae, aut herbariae excellentem ſcientiam cum medicina conjunxerunt, ſed anatomes in primis: quod uſu evenit vel illi quem paullo ante nominavimus, Andreae Veſalio, ad hunc modum deſcribenti *peſſimum*, ut loquitur Corn. Tacitus (1) *inimicorum genus, laudantes*. „ Si quem, inquit (2), aliqua ab „ ipſis ignorata cognoſcere animadvertant, „ illum quidem eorum peritum fatentur eſſe;

(1) Vit. Agric.

(2) Epiſt. cit.

„ ceterum (quod ipſi nomine tantum ſunt) „ medicum eſſe negant, quaſi is demum me„ dicus foret, qui nihil minus quam medicus „ vere cenſendus ſit: & perinde ac ſi abſolu„ tior in aliqua medicinae ſubſervientium di„ ſciplinarum diligentia, ad reliquam medici„ nae cognitionem obeſſet. „ Quorum voculae, non minus quid ipſi ignorent, quam in quo alii excellant, prodentes, cum parum ceteris, tum nihil Valſalvae offecerunt; quin e contrario effecerunt, ut fama ejus magis in dies magiſque creſceret, diſſectionum autem accuratiſſimarum utilitas in medico, chirurgoque clarius eluceret. Illis enim fretus, primus Bononiae in membrorum amputationibus, ad ſanguinem compeſcendum, atrociſſimum ignis auxilium rejecit; arterias obligavit; primus ſurditatem poſſe interdum manu curari, oſtendit; primus chirurgica plura inſtrumenta, pluribuſque ex partibus conſtantia, ad multo pauciora, & ſimpliciora contraxit. Cumque non tam ex aliorum commentariis: quam ex proprio, in re praeſenti, judicio chirurgiam exerceret, hanc in aegrotantibus propemodum ſingulis, non ad cer-

Digitized by Google

tam quamdam & immutabilem normam, ſed ad peculiarem cujuſque caſum accommodabat: atque ut maximi erat tum conſilii, tum animi, celeriter quae opus erant, & excogitabat, & perficiebat, manu aeque promptus atque ingenio. Hinc illa quae ſaepe alii, & praeſtantes quidem viri, fruſtra conati, in deſperatis reliquerant, nova ipſe arte, nec poſtquam vidiſſes difficili, confecit ex ſententia; ut veriſſimum ei teſtimonium dederint Noſocomii Incurabilium Conſervatores, cum mortuo poſuerunt monumentum, in quo ſcriptum eſt, apud eos quoque fuiſſe, & quidem *per V. luſtra chirurgum miris curationibus beneficentiſſimum*. Magnus itaque in re chirurgica Valſalva fuit: nec minor in medica. In hac ab illa; in utraque ab anatomica ſummopere adjuvabatur. Quae enim medicus latentia curat, ſubinde haud alia ſunt, quam quae chirurgus ante oculos poſita, tumores, inflammationes, abſceſſus, alia iſtiuſmodi. Vidiſſe perſaepe aperta juvat ad abdita melius intelligenda. Sedem vero, & ſiqua indicia abſtruſiora ſint, quid certius doceat, quam anatome, quae in qua parte quod viſcus ſit, &

poſt certa ſigna quod vitium inveniri ſoleat, oſtendit? Huic acceptum referre decet quod Valſalva de praeſentibus veriſſime judicaret; de futuris non minus vere conjiceret. Nam quo in viſcere, quave in hujus parte quae eſſet labes, ſaepius aegro etiam tum vivo, pronunciavit; neque ea res illum fefellit. Saepe etiam accidit, ut cum mortis cauſſam in cadavere quaeſituri, aperire pectus inſtituiſſent, ipſe interveniens, cum quae in vivente fuiſſent notae, accepiſſet, afferri ſerram continuo juſſerit, atque intra calvariam id oſtenderit, quod pectore includi exiſtimaverant: contra, alias ut cum illam ſecare vellent, recludendum eſſe pectus, moneret; in hoc enim, ut reapſe mox invenerunt, ſuis ex receptaculis ſanguinem erupiſſe. Quarum praedictionum etſi Bononiae illae maxime pervulgatae ſunt, quae in ſummorum virorum diſſectionibus contigere, complures tamen pleroſque fugerunt, olim inter diſcipulos in Valetudinariis habitae eadem ſcientia, minori gloria. Quod ſi vera eſt, ut ſane in morbis ſanabilibus plerumque eſt, Hippocratis (1), aut

(1) De Art. n. 20.

certe vetuſtiſſimi Auctoris ſententia, *Medicum, qui ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficere etiam ad ſanandum*; poſt ea quae expoſui, non neceſſe habeo referre, quot illi fuerint, quorum cum jam nulla ſpes ſalutis relinqueretur, Valſalva in tempore vocatus, partim in priſtinum reſtituerit; partim ſi ab interitu prorſus retrahere non potuit, at hoc certe retardato, quoad licuit, ſervarit; partim inſtanti periculo ſaepius depulſo, longe plures, quam ſperaverant, annos in vivorum numero ſic retinuerit, ut quam minime multa veſtigia graviſſimorum morborum manerent. Dederat autem praecipuam operam, uti in chirurgicis, ſic in medicis (quod utinam omnes imitaremur) ut qui morbi vulgo inſanabiles habentur, eorum attentius primordia vel per anatomen obſervaret, ſi forte aliquos inveniret quorum aut initiis occurrere, aut augmenta intercipere, aut impetus tardare poſſet. Eaque in re quid praeſtiterit, neque illuſtrius, neque felicius proferri a me poſſe exemplum credo, quam quod, ineunte ſaeculo, princeps inſtituit, dilatationes intimarum arteriarum (ἀνευρύσματα vocitant) priuſquam majores

Digitized by Google

ſiant, curare ea ratione, quam Albertinus (1), ejus, ut ante dictum eſt, ſtudiorum conſcius, tandem propoſuit annis ſuperioribus, ipſeque & alii apud Bononienſes Medici ſuis deinceps ad eumdem modum reſpondentibus experimentis comprobarunt. Talis cum eſſet, ſuis Valſalva dignam meritis famam eſt adeptus in doctiſſima civitate. Jam tum juveni ſe, ſuorumque ſalutem crediderant viri ſummi, alii litteris, alii dignitate, omnes genere prudentiaque illuſtres. Ut crevit aetas, atque auctoritas, idem fecerunt multo plures, prioribus pares, nonnulli & majores, in his Thomas Ruffus, & Iacobus Boncompagnus S. R. E. Cardinales, quorum hic ſacris, ille etiam ceteris praeerat Bononiae rebus. Nobile erat Valſalvae nomen, laus maxima; eaque erat omnium medicorum quoque, de illo opinio, ut magni ejus conſilium, magni ejus opera in rebus difficillimis aeſtimaretur, nec ſolum inter Bononienſes, ſed etiam inter omnes, quae ejus opem expertae ſunt, civitates, Mantuam, Parmam, Placentiam, Ravennam, Forum Cornelii, & Livii, Faventiam, Arimi-num, …

(1) … cit.

num, Fanum Fortunae, Urbinum, atque alias, quo ad primarios viros, feminaſque, ad Dynaſtas, ad Praeſules, ad S. R. E. Cardinales, gravioribus implicitos morbis accerſebatur. Nam qui, atque unde conſultum venirent, aut ſibi per litteras auxilium peterent, nec facile, & poſt ea quae retuli, ſupervacaneum eſt memorare. Quas ob res, ob editumque *de Aure humana* librum, quo de libro poſt dicemus, quam Bononienſibus carus, quam exteris notus, quam utriſque admirabilis fuerit, indicio eſſe poſſunt quae utrique & privatim & publice in hunc contulerunt. Nihil ei detraxit inter illos viventi, quod alienae erat civitatis. Nam non modo, ut ſupra indicatum eſt, amplo Incurabilium Noſocomio chirurgum praefecerunt, non modo inclytae Scientiarum Inſtituti Academiae Praeſidem iterum, ac tertium praepoſuerunt; ſed & multo antea alio in coetu ad aliud munus admitti poſſe, magno omnes conſenſu cenſuerunt, non quod civis eſſet, ut lex jubebat, ſed quod ſcientia, & fama illuſtris eſſet, ut lex ſinebat: eſſe enim illud fortunae, hoc virtutis. Quod vero non ad privatam, ſed ad publicam rem

pertinebat; civitatis ſalutem, & annonam ejus potiſſimum ſpectatae fidei, peritiaeque Senatus ampliſſimus commendavit, illam ſub initium ferme ſaeculi, cum litterae & merces ex regionibus afferrentur nomine peſtilentiae ſuſpectis, ne niſi rite perpurgatae acciperentur; hanc duodecim poſt annis, quo tempore neceſſarium, ſiquod aliud, ad colendos agros animalium genus, boves communibus, & contagioſis morbis abſumebantur, ne latius horum vis ſerperet, & quoad ejus fieri poſſet, infringeretur. Neque tunc ſolum, quid de Valſalva ſentiret ſummus civitatis Ordo praeclare oſtendit, cum utrique illum rei praefecit, aut cum honorarium anatomes Profeſſorem declaravit; ſed tunc praeſertim cum anno MDCXCVII. tantum illi honorem habuit, ut unum ex omnibus delegerit, qui in celeberrimo Gymnaſio & humanum corpus incideret, quod a plurimis antea quidem, & ab ipſo quoque, ſed nec quotannis, neque ex publico decreto factum, & ſingulas inciſas partes, cum vellet, ex peculiari officio oſtenderet, additis apud Theatrum Anatomicum, illique attributis aedibus ad id offi-

Digitized by Google

cium aptiſſimis, quae ante ipſum conceſſa fuerant nemini. Haec Bononienſes. Cuncta autem Italia, atque adeo Europa quanti eum faceret, inde apparebat, quod ex eruditis medicis Bononiam venientibus nemo erat, qui ipſum videre, adire, alloqui praetermitteret, nemo qui cum vidiſſet, non id in praecipuis ſuae peregrinationis fructibus poneret. Ex ceteris qui ire illuc non poterant, ut quiſque erat ingenii & ſtudiorum fama clarior, ita alii epiſtolis ſaltem colere, alii miſſis, quos vulgaverant, libris, alii cum inter docendum, aut ſcribendum de ejus inventis ſermo incideret, honeſtiſſima commemoratione praeclarum de eo judicium patefacere non omittebant. Itaque etſi Bononia nunquam ille pedem extulerat, niſi aut eo, quo diximus, medendi cauſſa profectus, aut cum ſemel Patavium venit, idque an. MDCXCVI. cognoſcendi cupidus, qua hic ratione eo tempore traderetur anatomia, aut cum inſequenti anno Florentiam, anno autem MDCCXXI. Venetias ſe contulit, utroque Patriciorum Bononienſium gratia, quos aegrotantes conſiliis adjuvaret ſuis; nihilo tamen ſecius nulla erat

uſquam docta Civitas, Gymnaſium nullum; in quo non aeque ac Bononienſibus, eſſet notus, in quo ſine dubio magnus intelligentium omnium ſententia non haberetur. Qua conſtanti fama, & ſuo ipſa judicio, quod maxime facit auctoritatem, permota Regia Societas Londinenſis dignum ſe, & praeceptore Malpighio anatomicum in ſuum numerum adlegit. Cum ceteri, cum etiam tam procul a nobis disjuncti haec in Valſalvam conferrent, fieri non poterat, ut ipſum negligerent Forocornelienſes ſui. Nam etſi eſt hoc fere commune vitium in multis civitatibus, ut magna invidia magnae gloriae comes ſit; tamen quaedam ſunt, & certe illae noſtrae ſunt, fautrices ſuorum, ſeque eorum laude ornari, dignitate augeri, nec falſo, arbitrantur. Talem ſe Valſalvae Patria praebuit, ſumma ipſum omni tempore exiſtimatione, ſummoque amore complexa. Itaque praecipuum ei honorem detulit, ut ex iis eſſet, qui nobili praeſunt Magiſtratui Pacificorum. Neque hoc contenta, majora obtulit, & ſuper haec, honorarium publice dandum in annos ſingulos, ſi quidem ad ſuos remigraret. Ille

etſi pius erat in Patriam, ut qui maxime, etſi talem de ſe opinionem civium ſuorum, benevolentiamque habebat cariſſimam, tamen gratiis actis, eo beneficio uti noluit, non tam ne ſibi non conſtare videretur, qui majoribus & plura pollicentibus civitatibus negaverat, quam ne parum gratus adverſus illam, a qua & doctrinam & famam acceperat, & multis in ſe collatis honoribus ante fuerat occupatus. Credo etiam magis illud ſpectaſſe, ut ſapientem decebat virum, & longe in poſterum proſpicientem, ſe caritati in Patriam inſervire melius poſſe, ſi in eo quidem morem Patriae non gereret. Nam ſi paruiſſet, cives fortaſſe aliquos ex iis, qui tum vivebant, ſervaſſet, paullo poſtea nihilominus interituros. Sed contra ea, ſi remaneret Bononiae, ſe ſuae videbat univerſae Civitatis gloriam aucturum laude nominis, quoad ipſa, & litterae eſſent, nunquam intermoritura. Idem majores, idem aequales clariſſimos viros intuitos eſſe, & conſecutos. Neque enim Joannem illum, quem *ab Imola* vocitant Juris conſulti, neque Alexandrum Tartagnum, neque poſt hos M. Antonium Flaminium, neque

eum, qui memoria noſtra floruit, Joan. Bapt. Zappium in Patria aut patronos, aut poetas agendo, ſed Patavii, ſed Bononiae, ſed Romae in magnis Gymnaſiis, magniſque in Urbibus docendo, ſcribendoque, illos in ſummis legum doctoribus, hos in eximiis poetis, utroſque in maximis Fori Cornelii ornamentis eſſe habitos, atque haberi. Itaque domicilium quod ſibi ab adoleſcentia Bononiae conſtituerat, ad extremum uſque tempus ſervavit, cum eoque facultatem ſtudiis obſequendi ſuis, quam in litteratiſſima, & freqentiſſima Civitate ſibi magnam dari, expertus fuerat. Bibliothecam quidem inſtructam habebat libris neque paucis & ſelectis; qui praeſertim ad philoſophicam, ad medicam, ad chirurgicam, ad anatomicam rem attinerent. Tamen ſiqui forte eſſent praeterea ſibi opus aliquando, erat ubi aut pretio, aut prece confeſtim & facile compararet. Erant ibidem amici & doctiſſimi, & conjunctiſſimi: quanquam juvenis amiſerat duos, Valerium Zanium Comitem & Patricium, eruditione, prudentiaque, ſua tempeſtate, cum paucis, & Marcellum Malpighium anatomicum, ut ante dictum eſt,

eum nemine comparandum. Zanius eum non ſecus dilexerat, ac filium: quod grato ipſe animo praedicabat, referens interdum pro re nata, quae a ſene graviſſimo acceperat, cum de Deo religioſe, de hiſtoria erudite, de moribus ſapienter, identidem ſecum pro intima familiaritate verba faceret. Malpighius autem, cujus perſaepe praecepta, & monita eodem animo commemorabat, alacritatem addiderat ornandi ſpartam medicam, atque anatomicam ſolertia illa ac diligentia, quam in adoleſcentulo jam tum admiratus, quoad ſuperfuit, vel Romae laudare nunquam deſtitit; quod ex ejus, & Pacchioni ad Valſalvam litteris perſpectum habemus. Sed illuc redeamus. Erant Valſalvae apud Bononienſes, praeter omne genus librorum, amici plures eruditiſſimi atque experientiſſimi. Erat magnus, ut in urbe ampla, & tribus praeſertim non mediocribus Valetudinariis inſtructa, aegrotantium, & cadaverum numerus, ut & novas inſtituere, & inchoatas poſſet obſervationes perficere. Cujus rei nullam unquam occaſionem praetermittebat, ſemper aliquid ejusmodi mente agitans, nec obvia tamen deſpi-

ciens; velut cum in Valetudinariis ambulans, quaſi aliud agens, jacentium decubitum aſpectumque adnotabat, ex hiſque tantummodo eorum periculum, atque exitum conjiciens, mox interrogando, & cetera tum, & deinceps animadvertendo experiebatur, falſam, an veram (id quod ſaepius) conjecturam feciſſet. Qua facili, ſiqua alia, & in medio poſita, exercitatione ſe multum olim profeciſſe, confirmabat, ut ſaepe vel in iis, de quibus Medici ſecuri fuiſſent, ſuſpicari primus, nonnumquam & praedicere potuiſſet quae minime fuerant expectata. Ad hanc, atque ad alias diſcipulos hortabatur exemplo ſuo; quorum copia a longinquis etiam civitatibus, nullo ipſi tempore Bononiae defuit: quae haud ſcio an una ex praecipuis ibi permanendi cauſſis fuerit viro, quamplurimos poſſe juvandi, & praeclara ſtudia propagandi cupidiſſimo. Et ſane ex ejus ſchola, tanquam ex equo Trojano, complures prodierunt illuſtres viri, quos nominare ſingulos & longum eſt, & ſiquem forte invitus praetercam, odioſum. Illud ſatis fuerit dixiſſe, eorum alios floruiſſe, & florere in medicina facienda, alios etiam in traden-

da, alios Archiatros, alios publicos Profeſſores, alios munere utroque nobiles, nonnullos denique editis ſcriptis, ſi non illuſtres, at certe non ignotos. Neque hos ſolum, & quos itidem Bononiam, tanquam ad mercaturam optimarum artium, profectos, aut amici, aut primarii viri commendaverant, libenti animo erudiebat, verum etiam ſiquos cum paupertas premeret, ingenium, & docilitas ſublevabant. Nec vero hoc ſemel fecit, ſed ſaepius; maxime in adoleſcentibus duobus, quos, laudatum in Fabricio ab Aquapendente exemplum (1) referens, cum famulos accepiſſet, chirurgos, nec vulgares, dimiſit. Sed & aliquot Obſtetrices iis praeceptionibus informavit, quibus faciles partus ex difficilibus redderent, in qua ipſe facultate excellebat, nulla alia re impulſus, niſi ut per eas complures matres, filioſque ſervaret, utroſque corpore, hos etiam animo ſummum alioqui detrimentum facturos. Magna quoque capiebatur miſeratione eorum, qui morbis ſimul, & inopia conflictarentur, prae-

(1) Vid. Thomaſin. Elog. illuſtr. Viror. Tom. I. in Caſſerii Elogio.

ſertim ſi honeſto eſſent loco nati. Hos, medicinae cauſſa accerſitus, quibus rebus indigebant, ex ſua re familiari, non modo ex ſua arte, adjuvabat, ſolitus alioquin & apud ditiores hanc eo, quo utinam omnes, ingenuo animo & liberali exercere. Neque enim lucrum, ſed ſuam exiſtimationem ſpectabat, qua nihil, ſecundum Deum, habebat carius. Hanc in eo agi arbitrabatur, ſi quem morbum plane inſanabilem eſſe ſciret, ejus ut ſanabilis curationem ſuſciperet; item ſi in quo aliquid a remediis ſperaſſet, his nequicquam uſus, porro pergeret: quorum utrumque ſemper eſt abominatus; ſed aegris, vel potius quorum intererat, admonitis, ſe quidem, cum per eos licuit, continuo ſubduxit. Erat utique in Valſalva, cum ſumma humanitas, tum mira comitas: at polliceri quod praeſtare non poſſet, id vero non liberalis, ſed levis, atque adeo perfidioſi hominis exiſtimabat. Idem in nitendo, quod ſemel non ſine magna ratione admiſiſſet, tanta erat cura, atque conſtantia, nulli ut diligentiae, & ſtudio parceret, nihilque intentatum relinqueret. Nam etſi, ut cautum medicum decebat, ſemper illud,

ſicuti in ejus quadam ad Principem Virum epiſtola eſt, Hippocraticum (1) ſpectabat, *ne quid noceret*, eoque ſimplicioribus, cum poterat, & tutioribus, & uſitatis, neque multis adeo remediis uti conſueverat; & plura tamen, & validiora auxilia non ignorabat, & in chirurgicis praeſertim operibus magno, ut antea dictum eſt, erat animo, atque intrepido, nunquam tamen praecipiti, aut incauto, ut qui omnia quae incidere poſſent, ante proſpexerat: quanquam, etiam adverſus nec opinata quo animo eſſet, tunc ſatis oſtendit, cum in ſuis aedibus commentantem fulmen propemodum perſtrinxit. Tantum enim ab eo abſuit, ut animo caderet; continuo numquid forte alicui domeſticorum fulmen nocuiſſet, numquod incendii initium uſquam reliquiſſet, ſuperiores, inferiores, omnes partes aedium adeundo, ſic quaeſivit, ut ſi ipſe, qui prope ambuſtus erat, nullo periculo fuiſſet, magis poſtea conſideratione diſcriminum, quibus vita noſtra obnoxia eſt, quam re praeſenti perturbatus. Haec Valſal-

(1) De Morbis Vulgar. l. 1, Sect. 2, Vid. & Galeni Comment. 2. in eund. l.

vae ſtudia, hunc animum facies commendabat, alta amplaque fronte, nigris oculis ac vividis, decenti naſo, ore parvo, labris rubentibus, cetera colore inter candidum, & rubicundum; ſereno vultu, ſed non ſine gravitate; ad haec, congruentibus membris omnibus, ſtatura non magna, ſed figura venuſta; ſatis firmae ad laborem ferendum vires; ſtabiles manus; eaedemque, cum opus eſſet, promptae atque expeditae; corpus agile, niſi quod extremis ſex ſeptemve annis praegravante pinguedine tardabatur. Nam qui gracilis, ut ſupra indicatum eſt, ad virilem aetatem pervenerat, ſenſim deinde pingueſcens, honeſtam primum dignitatem, ſed poſtremo ultra modum obeſus, moleſtiam, morbos, ipſamque adeo, quam & praeviderat & praedixerat, mortem eſt nactus. Principio tuſſis, qua annis quoque ſuperioribus, ſed remiſſius, vexatus fuerat, augeri, & cum tanta faucium ſiccitate ac ſiti conjungi, ut noctu praeſertim magnam aquae vim abſumere cogeretur: hinc noctu vigiliis urgeri, interdiu dormitatione: ad hoc, qui non multi cibi, vini autem vel minus multi fuiſſet, jam illum pe-

ne ſine modo appetere, aquam autem, ut dixi, vel praeter modum. Ex his, ut morbus morbum parere ſolet, aut augere, pinguedo creſcebat; ſtomachus infirmabatur: itaque anno ante quam decederet, ad cetera incommoda ciborum vomitus a prandio acceſſit, noctu autem vehemens nonnunquam dolor laxioris inteſtini, quod κόλον nominant, ut noctibus quatuor continentibus quaternas horas torqueretur. Hoc tamen morbo & alias fuerat olim cruciatus: qua re magis, quam difficultate ejus ab renum dolore internoſcendi, factum cenſeo, ut ex his ſemel laborans, ex eodem ſe inteſtino laborare crediderit, donec arenoſa urina alium eſſe morbum oſtendit, ſed inter initia perſaepe adeo ſimilem prioris, ut Galenus (1) quoque cum altero tentaretur, alterum eſſe, exiſtimaverit quoad uſque dejectio humoris, quem vitreum dixerat Praxagoras, errorem ſuſtulit. Quo magis praeceptum illud omnibus a Medicis ſervari debet; id quod Valſalvae nocte intempeſta non licuit; ne ſuorum ipſi morborum ſint judices, cum duo ſummi Anatomici & Medici ſic cavere non

(1) De Loc. aff. l. 2. c. 5.

potuerint, ne alter in alterum errorem inciderent; cujus ſimplicem confeſſionem ſibi uterque credidit convenire, ſive Hippocratis more (1), aliorumque, ut Celſus (2) ait, *magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium*, ſive etiam, quae mea omni tempore ſententia fuit, quod longe majori laude ingenuitas digna ſit, quam hallucinatio, praeſertim ejuſmodi, reprehenſione. Sed ad poſtremos Valſalvae morbos revertamur. Hi quorſum eſſent evaſuri, jam plura antea indicia fuerant. Nam etiam inter conſulendum Medici animadverterant ſomniculoſum, nonnunquam & ſtertentem, ſic tamen, ut cum reſponderet, non videretur dormiviſſe. Mihi vero non tam id diſplicuit, cum forte anno eodem MDCCXXI. conſilia pro feminis primariis conferremus Venetiis primum, Faventiae iterum, quam lingue difficultas quaedam in explicando ſermone, levis illa quidem, ſed mihi tamen, longo intervallo audienti, ſatis manifeſta; ut ex eo tempore & vereri ipſe, & amicis praenunciare, quantumvis fruſtra,

(1) De morbis Vulg r. l. 5. n. 14.
(2) De medicina l. 8. c. 4.

non deſtiterim, quod anno accidit MDCCXXIII. poſtridie Kal. Februarias. Nam coenato, ſecumque, ut ſolebat, commurmuranti, & quaſi aliquid commentanti, repente os diſtortum quid immineret, domeſticis praemonſtravit. Admonitus, tantum adhuc aberat a mentis laeſione, ut eos qui aderant, ne animo deficerent, neu perturbarentur, ſed ſibi ut quam quiſque poſſent, opem ferrent, hortatus, accerſitis Medicis, & Sacerdotibus, illis quidem ut ſanguinis non una detractione contenti, rurſus mitterent, ſi videretur, ſignificaverit; his vero, Sacra miniſtrantibus, ea omnia religionis & pietatis ſigna dederit, quae vitam anteactam decerent, donec graviore morbi vi, quem ἀποπληξίαν vocant, ingruente, eadem nocte vivere deſiit. Sic Valſalva vix major ſeptem & quinquaginta annis natus, quo morbo liberaverat plures, & quo de morbo praeclara animadverterat, eo ipſe morbo ereptus fuit. Elatus eſt, pro dignitate hominis, honeſto funere, condituſque in ſacra Aede, quae ab Divo Joanne in Monte Bononienſibus appellatur. Quanta omnium de vivo opinio, quantumque mortui deſiderium fuerit, vel ex

Digitized by Google

monumentis cognoſci potuit, quae ipſi intra eum, quo deceſſit, annum, aut certe non poſt multo, raro exemplo quinque ſunt poſita, ab aliis aliud, aliiſque verbis, ſed eadem omnia & laudis, & voluntatis ſignificatione: unum ſepulchro proximum, idque ab Aedituimis, Canonicis Regul. Lateran., alterum, de quo ſupra commemoravi, in Noſocomio Incurabilium ab hujus Conſervatoribus; tertium, & quartum adjecto ejus e nobili marmore ſimulacro, ſingulari opera atque arte perfecto, illud, Senatoribus auctoritate & ſapientia praeſtantibus, quibus Inſtituti Scientiarum procuratio demandata eſt, id jubentibus, in magnificis aedibus eidem Inſtituto aſſignatis; hoc in celeberrimo Gymnaſii loco ab utraque alma Univerſitate *Artiſtar.* quod potiſſimum, quoniam ita factum atque exornatum eſt, ut quatuor de quibus in hac vita expoſuimus, Valſalvae praecipua ſtudia non minus inſcriptis verbis, quam circum addita haud ineleganti pictura repraeſentet; idcirco aere deſcribendum, & cum hoc noſtro commentariolo conjungendum curavimus (1). Noviſſimum, nec

(1) Vid. in Veneta Operum Valſalvae editione.

nec ſine ſimulacro id quoque, Forocornelii in eo loco ſtatutum eſt, quem in locum, ſi quid ſibi in Patria accideret, Valſalva ſuum inferri corpus deſtinaverat, in Divi Dominici Templo, recens inſtaurato. Poſitum eſt autem ab uxore, femina lectiſſima, Helena Linia, pene una ſuperſtite familiae ſuae, apud Bononienſes veteris & Senatoriae. Quae quantum viro, dum hic viveret, obſequens fuerit, cura patefecit ejus voluntati vel poſt obitum ſatisfaciendi. Cum enim hoc illum ſciret in animo habuiſſe, ut, ſe mortuo, ſua chirurgica inſtrumenta omnia, quae nec ita pauca erant, nec vulgari induſtria atque artificio fabrefacta, Noſocomio cederent Incurabilium; Academiae autem Inſtituti Scientiarum ſuum Anatomicum Muſeum, cum ob alia, tum maxime ob admirabilem illam, primamque omnium, univerſi auditus organi una in aure praeparationem, a viris etiam Principibus expetitum: cum igitur id ſciret, nec prece, nec gratia, nec praemio adduci potuit, ut aliis quam quibus vir indicaverat, non juſſerat, cuncta illa traderentur: tanti apud eam viri quoquo modo cognita voluntas

fuit. Hanc anno duxerat MDCCX. ex eaque liberos ſex procreaverat, mares duos, feminas quatuor. Sed virilem ſexum non reliquit; in prima enim pueritia utrumque amiſerat filium. Filiarum quoque ultima non diu patri ſuperſtes fuit. Vivunt reliquae: quarum priorem nuptum dedit mater Ludovico M. Montefanio Caprarae J. C. nobili civi Bononienſi: altera, & tertia ſolemniter vovere Deo virginitatem maluerunt. Has omnes Valſalva habuit heredes, non tam magni patrimonii, quam maximae gloriae. Illi enim augendo, etſi indiligens paterfamilias non fuit, multo minus operam dederat, quam ſcientiae, & virtuti, &, quae harum comes eſt, laudi nominis amplificandae. Inter omnes conſtat, qui ejus & mentem, & conſuetudinem probe cognitam habuerunt, multo eum maximam vitae partem, ut verum inquireret, ac publica commoda promoveret, in diſſectionibus conſumpſiſſe. Namque in auris dumtaxat anatomia ſexdecim ipſos annos fuit, diſſectis ejus rei cauſſa humanis capitibus amplius mille. Hinc *Tractatus* extitit *de Aure Humana*, qui unus maxime apud Philoſophos, Medicos, at-

que Anatomicos Valſalvam illuſtravit, poſt Bononienſem editionem an. MDCCIV. apud Conſtantiuum Piſarium, Trajecti ad Rhenum iterum an. MDCCVII. in officina Guilelmi Vandewater, Genevae autem tertium an. MDCCXVI. ſumptibus Crameri & Perachonii, a typographis deſcriptus, & tamen a multis jam annis in tabernis librariis proſtans raro, adeo ut nunc quartum prodire debuerit, cum tres poſthumae Anatomicae diſſertationes, novum aſſidui Valſalvae laboris atque induſtriae ſpecimen, primum ederentur. De quibus, & de eo tractatu cum illa huc addidero, quae nulla ratione omitti poſſunt, finem ſtatim ſcribendi faciam. Diſſertationes Valſalva recitaverat in ea, quam ſaepius memoravi, Inſtituti Scientiarum Academia, primam quidem anno MDCCXVI. Kal. Jun. alteram vero anno MDCCXVII. circiter Idus Decembris; tertiam denique anno MDCCXIX. item pridie Id. Decembris. In prima ſermonem habuit de laxioris inteſtini vinculis, de ſinibus arteriae magnae, de nervis ab ſpinae medulla ad par vagum accedentibus, deque annulis tum viſcoris, tum motoris oculi nervi moderatoribus.

In altera de quibuſdam oculorum affectionibus, & ſecundum, & praeter naturam, inque his poſterioribus de ſuffuſione. In noviſſima de excretoriis ductibus, atque uſu renum ſuccenturiatorum. Gratia erat in pleriſque his rebus cum novitatis, tum vero etiam utilitatis. Itaque magno aſſenſu, & laude ab iis, qui aderant, auditae, mox fama apud ceteras Academias pervulgatae ſummam omnibus editionis expectationem commoverunt. Nec abnuebat Valſalva: ſed illis valetudinis tardabatur incommodis, quibus, ut ſupra demonſtratum eſt, iis ipſis annis tentari coeperat. Icones erant conficiendae, quae cum prima diſſertatione proponerentur. Neque enim tertiam ſcripſerat, quae curam eamdem requirebat, cum de edendis obſervationibus illis ſuis cogitationem ſuſcepit, nonnunquam animi pendens, an adjectis ad eas aliis, longe alio pertinentibus, omnia reſcriberet, decemque in capita digereret: quae res ipſa quoque afferebat moram. Sed tertia addita diſſertatione, hoc conſilium prorſus abjecit; & diſſertationes ut recitaverat, ita cum Academiae, cui tradiderat, commentariis edendas ſtatuit. Dum

horum editio neceſſariis de cauſſis diutius extrahitur, utrumque accidit eorum, quae in iiſdem ſunt a viro clariſſimo Franciſco M. Zanotto diſerte, ut ſolet, commemorata (1); ut ſuas Valſalva diſſertationes, aliquid in his expoliendi, & perficiendi cauſſa, ab Academia repeteret, utque antequam redderet, ſupremum obiret diem. Secuta ſunt illa quae ab Zanotto protinus ſubjiciuntur, vere, cum narrat, perhumaniter, cum exiſtimat, omnia ſcribente, judicium de me & Heredum Valſalvae amicum, & tantae Academiae, honeſtiſſimum: miſſio ad me non modo earum diſſertationum, ſed & chartarum Valſalvae omnium, quaecunque ad ejus ſtudia attinerent; poſtquam & cunctae ita ut ipſae omnino volui, numeratae fuerant, & ſingulae obſignatae; ſic autem volui ob illas cauſſas, quae in earum chartarum reſtitutione afferentur, nunc facile intelliguntur: denique confectio epitomes diſſertationum illarum, a me neque ita multo poſt, ad Academiam miſſae, quae cum ejus commentariis (2) edita eſt. Quo-

(1) Vid. Titul. Anatom.

(2) Vid. Opuſcula.

niam vero in ea ad Zanottum epiſtola, qua illam ſum, quanta maxima potui, brevitate epitomen complexus, eſſe cauſſas ſcripſi, cur diſſertationum editio mihi neceſſario eſſet in longinquum tempus differenda; quo in judicio utinam deceptus eſſem; hic fuſius exponendum eſt, quae mihi, & quot difficultates obſtiterint non tam in re perficienda, quam in conſilio capiendo, qua eam potiſſimum ratione perficerem. Chartae fuerant ad me allatae maximo numero, quaedam inter ſe nexae, fere omnes ſolutae, aliae ad aliam rem attinentes, pleraeque autem ita ſcriptae, ut ſibi ſcribere occupati homines, memoriae dumtaxat cauſſa, ſolent, imperfectis ſententiis, interdum & verbis, nec ſine compendiariis notis; nonnullae etiam, diſſugiente atramento, vix legendae. Perlegi omnes labore improbo, quem tamen nota Valſalvae manus & conſuetudo ſublevabat. Inter legendum, quae prorſus inutiles viderentur, ſepoſui: ceteras, quaecunque aliquid haberent quod ad diſſertationes, ad tractatum, aut denique ad Anatomen quoquo modo attinere poſſet, certo ſingulas adſcripto numero mihi notatas, iterum ac ſaepius relegi, donec quaſi

indice ſeorſum confecto, quid in qua charta extaret, facile, cum vellem, & ſcire liceret, & reperire. Feci idem in virorum doctorum litteris, quae erant plurimae, ad Valſalvam ſcriptis, ſiquam vidi ad ejus aut obſervationes, aut vitam illuſtrandam ex parte aliqua eſſe utilem. Sic tandem etſi plurima inveni, quae ad eorum diſſectiones pertinent, qui ex vulneribus, aut ex certis aliis quibuſve morbis interierunt, complures etiam obſervationes, & quaedam experimenta, longe alio, magnam partem, quam quo voluiſſem, ſpectantia, quarum rerum omnium eae, quae nunc uſum nullum habuerunt (nam multae habuerunt) ut alias habeant, ſi vita ſuppetat, operam dabo; tamen quae potiſſimum quaerebam, ea multo fuerunt mea ſpe, & voluntate pauciora. Illud magis miratus ſum, vel quaedam defuiſſe quae olim mihi, atque aliis palam Valſalva dixerat ab ſe animadverſa, aut obſervata, ſive, quod malim credere, multa chartis committere praetermiſerat, ſive etiam interciderunt; ut certe exemplum intercidit ejus tractatus ampliſſimis oris conſpicuum, in quibus videlicet poſſet, ſiquid addendum, detrahendum, aut mutandum vide-

retur, commode adnotare. Cujus ego exempli hoc magis recordor, quod cum duo, haud amplius, ad eum modum facienda curaſſet, ſibi alterum ſervavit, mihi alterum continuo dedit, rogans ut idem in meo facerem, quod in ſuo ipſe eſſet facturus. Tale igitur ejus exemplum ut ſumma conquiri diligentia juberet, etiam atque etiam petere non deſtiti ab illius ſororis filio Fauſto Stagnio J. C. & Canonico Forocornelienſi, ſpectata in Avunculum pietate viro, qui & chartas ejus omnes magna cum cura ipſe collegit, & quaecunque de ejus vita minus cognita mihi erant, miſſo bene longo, Italice ſcripto, commentario me docuit. Cum in Stagnio, ea de re viciſſim a me admonito, non minor eſſet, quam in me, cupiditas exempli illius inveniendi; cum ſaepius non per alios modos, ſed per ſe ipſe quaeſiviſſet, neque ullum pene quaerendi finem feciſſet, illud nuſquam extitit. Qua de re hic commemorandum putavi, ut ſi unquam forte alicunde id prodeat, facile ab omnibus agnoſcatur, meuſque hic labor, Valſalvae voluntate cognita, felicius ab aliquo ſuppleatur. Nam voluiſſe Valſalvam, ut in diſſertationi-

bus, ita etiam in Tractatu quaedam mutare, alia tueri, vel ex ſchedis ipſius conſtat; quae vero potiſſimum, & qua ratione, vix uſquam omnino conſtat. Una enim, haud amplius, charta eſt, in qua diſerte adnotaverat, quid & quemadmodum in prioribus dumtaxat paginis diſſertationis tertiae ſibi mutandum conſtituiſſet. Itaque magnum mihi onus laboris, atque officii ſuſcipiendum putavi, ut quibus de rebus in ejus tractatu, & diſſertationibus verba fiunt, iis de rebus primum quid alii & ante, & poſt ipſum in eamdem, aut in contrariam ſententiam prodidiſſent, deinde quid ipſe, quid ego obſervaſſemus, attento animo, & libero ab omni partium ſtudio conſiderarem, ut ſic denique conjicerem, quae ipſe ſibi, ſi viveret, atque utinam viveret, tuenda, quae mutanda poſſet exiſtimare. Quae omnia etſi neque brevis temporis fuerint, neque modicae difficultatis, nihil tamen difficilius mihi accidiſſe fateor, quam aut poſtrema illa conjicere, aut cum conjeciſſem, quod tandem mihi conſilium capiendum, quidve faciendum, conſtituere. Nam cum alia eſſent, eaque plurima, quae jure mihi laudari, &

defendi poſſe; alia vero quae aliquanto ſecus ſe habere viderentur: num propterea conſtare ſatis, crederem, illa eadem futura fuiſſe quae Valſalva ſervaret; haec eadem quae deleret? Quid? ſi me aliquid fugeret, multa autem poſſe, confiteor. Quid? ſi obſervationes, quantumvis ſaepe a me iteratae, non ad eumdem ſemper modum reſponderent: id quod in aliis, neque ita raro, accidiſſe animadverti. Num mihi nihiloſecius tantum ſumerem, ut quaſi ipſe Valſalva eſſem, quaſi omnia quae ille, perſpecta haberem, quaſi aliter atque a me, res nunquam ab eo potuiſſent, aut ab aliis poſſent inveniri; in ejus ſcriptis non omnia conſervarem; ſed alia mutarem, alia tollerem? Contra ea, hae ſubibant animum cogitationes. Quid? ſi ut mihi, ita forte aliis & videatur, & deprehendatur in his rebus. Quid? ſi has ipſas Valſalva fuerat mutaturus. Num his conſervatis, officio ipſi debito? num veri ſtudio? num publicae utilitati ſatisfaciam? Simul veniebat in mentem, quam ipſe fuiſſet veri diligens, ut verum ſemper conſueſſet rebus aliis omnibus anteponere, quantum eſſet veritus quidquam quo-

quo modo confirmare, quod, non dico num verum eſſet, dubitaret, ſed tantummodo non per ſe ſciret. Cujus animi ſpecimen non unum dedit; ſed hoc maxime, neque a me, neque hoc loco praetereundum. Cenſor fuerat ab Academia anno MDCCVI. conſtitutus cum viro clariſſimo Joanne Antonio Stancario, ut mea prima *Adverſaria* Anatomica uterque ante editionem, quae certis de cauſſis differri non poterat, examinarent, &, ſi videretur, approbarent. Cum Euſtachius Manfredius, in cujus acerbo obitu magnam nuper Italia, non modo Academia fecit jacturam: huic praeeſſet, eumque Cenſores conveniſſent, haec Valſalvae ſententia fuit: ſe quidem non dubitare, quin meas obſervationes qua conſueſſem, diligentia, & fide in perlectis Adverſariis ſcripſiſſem; ſed illud tamen non intelligere, qui ſibi eas liceret approbatione ſua confirmare, niſi ante ſingulas per anatomen ad partes ipſas exegiſſet, veraſque eſſe comperiſſet; quae res nec modici eſſet temporis, nec exigui laboris. Mirari hic Stancarius, obſtupeſcere Manfredius. Ille vero, ſic ſum, inquit, ut videtis. Morgagnum di-

ligo; ſed verum magis. Itaque mihi ſtat non approbare, niſi ſpatium detur per diſſectiones recognoſcendi. Quid verbis opus eſt? Vix ceſſit, vix dedit tandem permotus manus, poſtquam ab utroque factus eſt certior; non illud a Cenſoribus leges Academiae poſtulare, ſed hoc tantum, quod ultro fatebatur, non videri ſibi quidquam eſſe in eo libro quod aut falſum eſſe ſciret, aut alienum ab Academiae inſtitutis. Atque hoc Valſalvae factum, Stancarii, ut oportuit, & Manfredii manu teſtatum, ſicut eo tempore prope ſubiratus, juvenili animo, tacite quidem, ſed non leviſſime tuli, ita nunc ſenex & probo, & laudibus effero: mentem enim unice oſtendit viri, nihil, ſi opus fuiſſet, amicitiae daturi, ſed huic verum, ut par eſt, conſtantiſſime antelaturi. Cum haec ita eſſent, diuque animum modo in hanc, modo in illam partem diſtraherent; vix tandem me ab ea ancipiti cogitandi cura expedivi ea ratione, ut parti utrique ſatisfacerem; ſed magnum ipſe ſuſciperem ſcribendi onus, quod, etſi me annos jam multos preſſit, leve tamen exiſtimabo, ſi ab aequis & intelligentibus vi-

ris meum hoc conſilium non improbatum eſſe cognovero. Eſt autem hujuſmodi. Primo loco *Tractatum de Aure Humana* non modo iiſdem archetypis tabulis, quibus duae poſteriores editiones caruerunt, ornatum, ſed talem omnino damus, qualis a Valſalva editus fuerat; niſi quod voculas aliquas, ſalva ſententia, interdum mutavimus, quae contra ejus voluntatem, nobis longo uſu hac in parte probe cognitam, irrepſerant, quaſque adeo per ſe ipſe fuerat mutaturus. Sic etiam in contextum accepimus adnotatiunculam quamdam ad num. VIII. Cap. V. jam tunc poſtquam hoc caput a typographis deſcriptum fuerat, ſub aſteriſco, quando aliter non poterat, ipſo jubente, in ora additam. Sic denique ſiquid praeterea ab iiſdem operis manifeſto peccatum fuerat, emendare non omiſimus. Tractatui poſthumas *Diſſertationes* ſubjecimus. In his ſententiam nunquam, at verba ſaepius, nec raro verborum quoque circuitum ea ratione commutavimus, quam vel olim Valſalvae ipſi maxime placere in conficendo tractatu, cognoveramus (1), perſpicuam magis quam

(1) Vid. ejuſd. Tract. c. 4. n. 8.

cultam orationem, nec tamen omnino incultam probanti. Nihil addidimus, nihil praetermiſimus, ſi quiddam excipias ſub finem tertiae diſſertationis, idque non de noſtra tantum, ſed etiam de utriuſque amicorum, hominum doctiſſimorum ſententia: erat enim cogitatum inexplicabile, &, quod conſequitur, plane inutile. Contra, in diſſertatione eadem quosdam locos ita reſtituimus, quemadmodum ipſum cognovimus ex charta, de qua ante dictum eſt, per ſe facere decreviſſe. Inſuper unamquamque diſſertationem in plures quaſi articulos diſtribuimus, ſinguliſque articulis & ſuum numerum praeſcripſimus, & ad oras ſummulam adſcripſimus eorum, quae in quoque articulo traduntur: non quod harum rerum in ejus chartis ulla nobis inventa ſit; ſed quod in tractatu illas omnes voluiſſe, memineramus; ut non videatur in diſſertationum editione fuiſſe omiſsurus. Denique cura acceſſit conficiendarum tabularum, earumque explicationum. Reliquerat ille quidem figuras novem, omnes ad diſſertationem primam attinentes; ſed aliam fere in alia charta, non collectas in tabulas, non adſcriptis numeris,

non inſcriptis litteris diſtinctas, non adjectis explicationibus illuſtratas. In uno dumtaxat folio quid in illarum quibuſdam pingendum curaſſet, preſſe & continuata oratione, quaſi memoriae cauſſa, adnotaverat. Nos igitur in tres, quas diſſertationibus interjectas edimus, novas tabulas diſtribuimus, numeris, & litteris diſtinximus, hiſque reſpondentibus explicationibus ad ejus mentem declaravimus. Atque ut ille ab eodem, quo ad tractatus figuras uſus fuerat, egregio pictore Angelo Michaele Cavazzono pari & hujus, & ſua diligentia atque induſtria has quoque delineandas curaverat; ita & nos ut ab eodem, a quo primae, laudato ſcalptore Franciſco M. Francia in aere inſculperentur an. MDCCXXV. curavimus, nullis neque ſumptibus, neque precibus, neque monitis parcentes, ut ſcalptura omni ex parte ſummaque cum fide picturam ſequeretur: cujus certe voti, excepto uno aut altero, de quo in explicationibus admonemus, loco compotes fuimus. Hactenus quo conſilio ſatis a nobis factum ſit primis illis rationibus expoſitum eſt: nunc quomodo alteris indicabimus. Duodeviginti epi-

Digitized by Google

ſtolas ſcripſimus, quarum undecim ad tractatum attinent, reliquae ad diſſertationes. In utraſque autem conjecimus tum quidquid ad ſingula ex ordine capita, & rerum argumenta, in Valſalvae chartis ſpectare, deprehendimus, quod bono in lumine collocavimus; tum quidquid ex anatomicorum inventorum hiſtoria ad eaſdem res pertinere intelleximus; tum quidquid de his iiſdem rebus aut ad eumdem modum, aut ſecus ab doctiſſimis viris non modo olim, ſed ad haec uſque ultima tempora ſcriptum eſſe, cognovimus. His omnibus noſtras, quales eae cunque ſunt, non paucas certe, neque indiligenter habitas obſervationes, & animadverſiones adjecimus. Secundum has, ubicunque id facere, & quatenus facere licitum fuit, ſimul verum, ſimul Valſalvam defendimus. Siquando autem credidimus, utrumque ſimul defendi non poſſe; idem quod ipſe ibi facturus fuiſſet, ingenue eſt a nobis factum, ut Valſalva excuſato, & quoad potuimus, laudato, verum tueremur. Has autem epiſtolas etſi una cum Valſalvae ſcriptis emittimus, non omnibus tamen ſcriptas volumus. Sunt enim ita cum iis con

jun-

junctae, ut facile a Bibliopola ſejungi queant. Itaque ſiqui eam de Valſalva opinionem habent, quam ſi ullo de homine habere liceret, de ipſo in primis habendam faterer, nulla ut defenſione egere, nulli ut ſuſpicioni erroris obnoxium credant, ii poterunt in ejus ſcriptis acquieſcere, ſecuri ceterorum. Qui autem illa eo ſunt animo in manus ſumpturi, ut ſi quid forte minus placeat, id reprehendant; hos vero etiam atque etiam rogatos volo, ut ſe tantiſper ab eo judicio ſuſtineant, dum illi Valſalvae loco reſpondentem in meis epiſtolis locum perlegant. Saepius enim aut ita defenſum, aut ita excuſatum invenient, ut aut nulla reprehenſione opus eſſe, intelligant; aut ſiqua forte, ea certe quae cum aliqua tamen ſit laudatione conjuncta. Sicubi autem viderint, vero cogente, me ire in alia omnia, non continuo Valſalvam arguant; ſed ſic exiſtiment potius, idem illum facturum fuiſſe, ſi diutius vixiſſet, ſi ſpatio dato, plura obſervare, plura animadvertere, plura etiam legere potuiſſet: nam quamvis magnus illa tempeſtate Anatomicus fuerit, non ei tamen licebat quid a poſteris inveniendum eſſet,

divinare. Simul eorum quae ſupra dicta ſunt, veniat in mentem; fuiſſe ipſi in animo mutare quaedam in ſcriptis ſuis, fortaſſe illos eoſdem locos. Ad extremum, quidquid diſpliceat, me potius, & conſilium meum, non animum, reprehendant. Siquid autem forte a me felicius alicubi aut obſervatum, aut animadverſum, aut conſtitutum eſſe, crediderint, non mihi illud, ſed Valſalvae ipſi acceptum referant: qui niſi me olim adoleſcentulum ad haec ſtudia inſtituiſſet, niſi quaerendo praeiviſſet, obſervando praeluxiſſet, nihil a me horum ſuſceptum eſſet.

VICTORIUS FRANCISCUS STANCARIUS. (1)

Victorius Franciſcus Stancarius Dominico Stancario, & Catharina Gornia, civibus honeſtiſſimis, anno MDCLXXVIII. die XXIX. Julii Bononiae naſcitur. Mater ejus virum eximium Joannem Baptiſtam Gorniam fratrem habuit; qui apud Coſmum III. magnum Etruriae Principem, mox & Ducem, multis cum eo peractis itineribus, tum Medicinae laude praecipuum favorem obtinuit. Ex ea conjuge Dominicus non alium quam Victorium ſuſcepit, e Dorothea vero Natalia, Franciſci Natalij, celebris philoſophi, per fratrem nepte, plures antea liberos progenuerat, quorum tres ſuperſtites habuit, Marſilium Romana in aula nunc temporis degentem, Franciſcum ſtrictio-

(1) Scripſit hanc vitam Euſtachius Manfredius, eamque praepoſuit libro, quem ipſe vulgavit, inſcripſitque: *Victorii Franciſci Stancarii Philoſophiae Doctoris Bononienſis, & in patrio Archigymnaſio Analyticae Lectoris Schedae Mathematicae poſt ejus obitum collectae, ejuſdem obſervationes aſtronomicae, Bononiae 1713. in 4.*

ris obſervantiae Regularem, & horum natu minimum Joannem Antonium, qui Bononienſi in Archigymnaſio medicinam, atque anatomen ſumma cum laude profeſſus eſt. Ejus Dorotheae ſororem Luciam is, quem memoravi, Joannes Baptiſta Gornia poſtmodum duxit, ex qua Victorium Gorniam, nunc medicinae doctorem, Stancarii ſobrinum procreavit. Ceterum Victorius Stancarius prima litterarum rudimenta a Sancte Stancario patruo accepit, qui optimus in civitate liberalium artium Inſtitutor habebatur. Adoleſcens patrem cum amiſiſſet, avunculo, & patruo pridem ſublatis, primam juventutem apud Joannem Antonium fratrem exegit, quem etiam patris loco diligentiſſime coluit. Ab eo ad Laelium Triumphettum miſſus biennium philoſophiae operam dedit; tum a Vincentio Andrea Guiniſio Juris civilis inſtitutiones accepit. Per eam aetatem cum Euſtachio, & Gabriele, mox & cum Heraclito Manfrediis fratribus, ſtudiorum conſuetudinem inivit, quibus cum deinceps ad extremum uſque vitae ſuae tempus conjunctiſſime verſatus eſt. Ab Euſtachio non tam mathematicis elementis imbu-

tus, quam ad capeſſendum hoc ſtudii genus, quo natura maxime ferebatur, incenſus, ad eam facultatem totum ſe adjecit. Euclidis libros nihil moratus, matheſim ſuam a trigonometria, & logarithmis exorſus eſt, ſuopte ipſe ingenio ſupplens, quae ex proportionum doctrina, & geometricis principiis ad illorum cognitionem deſiderabantur. Ei ſtudio unum, & alterum menſem impendit; neque in alia matheſis parte condiſcenda tantum deinceps temporis poſuit. Nam optices quidem, ſtatices, mechanices, atque aſtronomiae principia e librorum lectione deſumpſit, diſciplinas vero ipſas, quouſque illae a veteribus ad noſtram fere aetatem promotae fuerant, obſervatione, ac meditatione propria adeptus eſt. Itaque domi perpetuo machinas compingere, diſſolvere, pendula incitare, perſpicilla invicem componere, teleſcopia, microſcopia inſtruere, fiſtulas vitreas aqua, hydrargyro implere; tum eorum effectuum, quos obſervaret cauſſas excogitare, ut inventorum ſuorum cum aliorum inventis conſenſum experiretur. Sed cum intimae geometriae uſum in omnes mathematicae facultatis partes maximum in-

tellexiſſet, ad Dominicum Gulielminum ſe contulit, ut ab eo Carteſianae analyſis fundamenta perciperet: ſimul Gabriel Manfredius, relicto medicinae ſtudio oui apud Gulielminum operam dabat, totum ſeſe ad analyſim convertit. Specioſae logiſticae ratione vix accepta, uterque geometricorum problematum ſolutionem adorſus eſt; atque alter alterum exquiſitis quaeſtionibus cum provocaret, non mediocres in ea facultate progreſſus fecerunt. Interea Gulielmino aſtronomicas obſervationes inſtituenti Stancarius; ad Manfredii fratres operam praeſtabant. Noctu ſatellitum Jovialium eclipſes, interdiu meridianas ſolis altitudines ad gnomonem maximum, qui Bononiae in Divi Petronii Aede a Caſſino deſcriptus extat, obſervabant. Earum obſervationum Gulielmino cum Regia ſcientiarum Academia Pariſienſi conſuetudo intercedebat. Stancarius annum agens XIX. propria etiam in domo caeleſtes obſervationes moliri coepit. Quadrantes, & ſextantes, quae ille organa nuſquam viderat, ſibi ipſe e ligno compegit, diligenterque diviſit, tum teleſcopiis inſtruxit; teleſcopiorum etiam perſpicilla quaedam elaboravit;

atque ea ratione multas cum Manfrediis fratribus ſyderum diſtantias captavit. Paullo poſt Gulielminus ad Patavinum gymnaſium accerſitur. Bononiae Euſtachius Manfredius illi ſufficitur. Stancarius in Collegium a Theodoro Poeta, Equite Bononienſi dudum inſtitutum, quo ingenui adoleſcentes, liberalibus ſtudiis operam dantes aluntur, curante Joanne Antonio fratre, recipitur. Ea res illud incommodi Stancario afferebat, quod noctu illi, obſervandorum ſyderum cauſſa, prodeundi poteſtas non fiebat. Sed tanta apud Collegii moderatores de Stancarii honeſtate opinio fuit, ut adoleſcentem ea lege abſolverint. Itaque apud Manfredios noctem traducebat, quorum in ſublimi domus parte opportunum locum nacti ſpeculam ſuam conſtituerant. Eo in loco ex anno MDCIC. ad triennium, dimiſſa rubrica diſtantiarum ratione, micrometri, & horologii automati ope caeleſtes motus explorarunt. Neque minus interea Stancarius Geometriae, Phyſicaeque excolendae vacavit; quin & Hjeminiani Rondellii, poſt Gulielminum, in mathematicis auditor fuit. Anno MDCCI. cum Gabriel Manfredius

primus ille quidem in Italia (quantum conſtat) analyſim infiniteſimalem, a Leibnitzio inventam, a Bernoulliis fratribus longe promotam, excolere coepiſſet. Stancarius idem ſtudium magna animi contentione aggreſſus eſt. Eodem fere tempore Joſeph Verzalia Caeſenas, qui Bononiae a compluribus annis, ſtudiorum cauſſa, morabatur, utrique ſeſe adjunxit; collatiſque invicem ſtudiis, in ea contemplatione maxime profecerunt. Gabriel ad explicandum praeſertim, atque amplificandum integralem calculum ſe adjecit, quae pars neque ſatis luculenter hactenus a ſcriptoribus tradita, & pluribus ſchedis diſſipata continebatur. Ea de re, annos XX. haud amplius natus, librum conſcripſit, cui de conſtructione aequationum differentialium titulum fecit; at paullo poſt Romam profectus, non ante annum MDCCVII. quum in patriam reverſus eſſet, opus ſuum evulgavit, eoque labente tempore Craigii Geometrae Angli ejuſdem argumenti liber prodiit, qui nunquam, quod conſtet, Bononiam importatus eſt. Stancarius, & Verzalia in traducenda ad phyſicas quaeſtiones infinitorum analyſi operam praecipuam

poſuerunt; neque ulla fere erat quaeſtio celebris in Pariſienſi, aut Lipſienſi Ephemeride pertractata, quam non ii ſinguli peculiari ratione expedirent; quin & multa nova problemata excogitarunt, ſolveruntque, quorum aliqua poſtmodum vel in iiſdem ephemeridibus, vel alibi ab aliis propoſita ſunt. Verzalia praeſertim novum, atque aliquando ſua fortaſſe in architectura utilitate commendandum, problema, in quod caſu, cum Stancario confabulando, inciderat: de conſtruenda commodiori curvedine pro fornicibus, & pontibus; celebre item, atque inſigne illud: de invenienda curva celerrimi deſcenſus, non modo pro vulgari, ſed & pro quacumque gravitatis aſſumtione, ſolus tunc, & primus, quantum conſtat, reſolvit. Corporum recta deſcendentium vires, velocitates, tempora, ac ſpatia: figurarum omnium in fluidis ſeſe moventium reſiſtentiae leges; nec non navium celeritatem, cum maximam, tunc unius cum alterius celeritate, collatam, quaecumque fuerit fluidorum gravitas, ut ajunt, ſpecifica, dimenſus eſt. Vis centrifugae leges, iiſque datis, planetarum, aliorumve corporum ſe-

mitas variis modis demonſtravit; vimque ipſam centralem, non modo in circulo, ſed in omnibus curvis conſiderans, eam cum vi gravitatis contulit; atque inde theorematum Hugenianorum peculiarem demonſtrationem deduxit. Corporum etiam in quocumque conoide volventium vim centralem, velocitatem, & tempus, primus quaeſivit, & detexit; unde magnum elegantium, novorumque theorematum, & problematum numerum hauſit, atque ad hujus generis inſigniorum quaeſtionum generalium ſolutionem aditum ſibi facillimum aperuit; quin & virium centralium regulas in medio difformiter denſo, & juxta rationem quamlibet reſiſtente adinvenit. Quas illi meditationes ſtatim ſi evulgaſſent, haud parum Italici nominis gloriae conſuluiſſent; ſed dum ad nova intenti rem in tempus diſſerunt, factum eſt ut primatus laudem alii interea occupaverint. Inter haec Aloyſius Ferdinandus Comes Marſilius, Vir de optimis ſtudiis praeclare meritus, propria in domo, quae Bononiae eſt, Aſtronomicam Speculam excitare conſtituit: phyſicis experimentis faciundis organa omne genus ſuppeditare; foſ-

ſilium, maritimorum, zoophitorum, corporumque aliorum naturalium ingentem vim, quae inter militares expeditiones tota Germania, ac Pannonia conquiſiverat, illuc convehere: Bibliothecam, Muſaeum, technicas officinas adjungere; nihil eorum omittere, quae ad excolendam, atque amplificandam naturae ſcientiam conducerent. Ei tractandae, cuſtodiendaeque ſuppellectili Euſtachium Manfredium praefecit. Euſtachius cum fratribus, & Stancario in Aedes Marſilianas profectus, Speculae exaedificandae, tum organis aſtronomicis curandis, ceteriſque ordinandis rebus biennium fere inſumpſit. Anno MDCCIV. aliorſum avocatus totius rei curam Stancario reliquit. Stancarius optatiſſimam occaſionem nactus naturalis hiſtoriae ſtudium ad reliqua ſtudia adjecit. In eo Laelium Triumphettum, a quo in Philoſophia inſtitutus fuerat, ductorem habuit, conſummatae doctrinae virum, quem ille ſemper praecipuo honore proſecutus eſt. Habuit & ſocios Bartholomaeum Beccarium, Fernandum Antonium Ghedinum, Heraclitum Manfredium, nec non Joannem Scheuchzerum Helvetum, qui a Marſilio inſpiciundi,

ordinandique Muſaei cauſſa Bononiam miſſus, complures menſes in Stancarii contubernio fuit. De lapide Bononienſi, de diverſis argillarum generibus, de teſtaceis, quae ex hoc agro magna copia effodiuntur, multa hoc tempore obſervavit, quae ſi ſcriptis mandaſſet, eam hiſtoriae partem haud parum illuſtrare poſſent. Abſoluto Speculae aedificio, compoſitoque in ea murali ſemicirculo, quo ſyderum altitudines toto meridiani circuli tractu captarentur, multae deinceps aſtronomicae obſervationes a Stancario & Manfrediis habitae, Antonio etiam Leprotto, Julio Caeſare Pariſio, aliiſque aſtronomiae ſtudioſis opem conferentibus. Complures luminarium, ac ſatellitum eclipſes obſervatae. Detectae ſolares maculae. Cometa etiam an. MDCCVII. die XXV. Novembris ab Euſtachio in capricorni aſtro animadverſus. Planetarum achronichiae fulſiones determinatae, Veneris ſydus in ipſa cum ſole conjunctione in meridiano deprehenſum; multae denique aſtrorum poſt lunam occultationes tam noctu, quam interdiu adnotatae. Obſervationum commercium cum celeberrimis aſtronomis inſtitutum, qui

proprias cum Bononienſibus conferendas viciſſim impertiebantur. Roma Franciſcus Blanchinus Summi Pontificis Cubicularius, Genua Paris Marchio Salvagus, Mutina Cajetanus Fontana, Parma Achilles Beccadellius, Tiguro is, quem ſupra memoravi, cum Jacobo fratre, Scheuchzerus; Norimberga Eimmartus, Wrzelbaurius, Mullerus; Maſſilia Antonius Laval, Monte Peſſulano Bonius, Plantada Clapiaeus; Lutetia Caſſinus, & Caſſini nepos Maraldus, qui anno MDCCIII. Roma in Galliam revertens multa, ad practicam aſtronomiae partem ſpectantia quae in Parienſi obſervatorio uſu ipſe didicerat, cum iis perhumaniter communicavit. Earum obſervationum collatione Bononiae Urbis geographica poſitio, quae perperam a ſcriptoribus conſignata fuerat, longe emendata eſt. Ceterum Stancarius, exeunte anno MDCCIV. cum XXVI. aetatis ageret, philoſophica laurea condecoratus eſt; quem ille honorem ut acciperet, non tam propria voluntate eſt adductus, quam ne communem opinionem contemnere videretur, quae in ejus honoris conſecutione praecipuum ſtudiorum fructum con-

ſtitutum putat. Eodem anno totius philoſophicae Academiae conſenſu eſt adlectus, ut ei in perpetuum a ſecretis eſſet. Academiam illam dudum Carolus Antonius Pizzius, Caeſar Mareſcottus, Cajetanus Scandianus, Vincentius Thomaſſinus, Dominicus Paſius, aliique philoſophiae cultores, apud Euſtachium Manfredium inſtituerant. Exinde Jacobus Sandrius propriam in domum admiſerat, multumque ad eam amplificandam, exornandamque contulerat. Joannes Baptiſta Morgagnius Forolivienſis, eo anno Academiae Praeſes cum eſſet, illam a perpetua diſputandi ſubtilitate ad naturam ipſam obſervationibus, & experimentis inveſtigandam traduxerat; atque ut erat Euſtachio amicitia, Stancariis vero fratribus etiam contubernio conjunctiſſimus, ita utrosque in ejus conſilii partem acceperat, optimaſque ad eam leges tulerat, quae omnium ſuffragiis ſancitae fuerant. Itaque Stancarius oblatum ſibi munus magna cum fide, ac diligentia gerere adorſus eſt. Cum Guidone Grandio, Jacobo Hermanno, Antonio Vallisnerio, Scheuchzeris fratribus, viriſque aliis doctiſſimis per epiſtolas multum agere; ſingu-

lorum inventa, quaecumque illi communicaſſent, ad Academiam referre, ſi quis e ſodalibus abeſſet vicem ejus gerere, Academiae negotia omnia pene ſolus expedire. Atque ex eo tempore Academia, tum litteratorum virorum Bononiae degentium frequentia, tum exterornm adoptione maxime increvit; neque multo poſt in aedes Marſilianas translata magis in dies effloruit; tametſi Morgagnio in patriam mox reverſo, Verzalia etiam ad viſendos, cognoſcendoſque viros doctos, & inſigniores geometras, alpes transgreſſo, denique aliis Academicorum alio avocatis, magnam cladem accipere viſa eſt; donec, Stancario e vita erepto, pene cum eo interiit. Poſtremis tamen hiſce temporibus ſpem concepimus fore aliquando, ut ad priſtinum illum ſplendorem revocetur, poſt quam a Bononienſi Senatu in clientelam accepta, optimumque Praeſidem Franciſcum Simonium ſortita, in literarii Inſtituti, propediem Bononiae, Marſiliana largitione, aperiendi partem immigravit. Sed ad temporum ordinem ut revertar, Stancarius eodem anno aequilibrium hydrargyri in fiſtulis, aliquid aeris continentibus, academica

diſſertatione conſideravit; qua de re Jacobum Bernoullium ante eum egiſſe minime diſſimulavit, ſed ejus inventis nonnulla adjecit, quae ad maximorum determinationem pertinent. Ineunte anno MDCCV. quae de aquarum e vaſis effluxu, deque earum per diverſa foramina erogatione dudum invenerat, ad Academiam retulit, atque etiam in publicum edere cogitavit; ſed cum aliis occupationibus diſtineretur, atque interim reſciviſſet virum celeberrimum eiſdem erogationum regulis inquirendis operam dare, quas poſtmodum evulgare meditaretur, ſchedam, qua inventi ſumma continebatur, anulo ſuo obſignatam, filioque trajectam, Jacobo Sandrio Academiae conſervatori cuſtodiendam tradidit, cui Schedae Sandrius diem XXII. Januarii, quo die illi tradita fuerat, propria manu adſcripſit. Quanquam ne ſic quidem efficere Stancarius potuit, ut primus ea detexiſſe videretur; eodem namque tempore problema illud a Varignonio generaliter effectum, atque in commentariis Academiae Pariſienſis anni MDCCIII. jam evulgatum a Verzalia accepit, qui & ipſe diverſa quadam, eaque univerſali, ac faci-

liori

liori ratione quaeſtionem reſolverat. De inſtrumento etiam, quo gradus dilatationis aeris in machina pneumatica diſtinguuntur, Stancarius hoc anno ſermonem fecit, cujus inſtrumenti dividendi rationem pridem adinvenerat; eamque excepit Verzaliae methodus, pro inveniendo numero exanthlationum, quo aer intra machinam ad optatum raritatis gradum perducatur. Praeterea montium & totius aeris altitudinem, ex recepta communiter hypoteſi, qua aeris denſitates atmoſphaerae incumbentis ponderi proportionales aſſumuntur, indagavit, lineamque, ad quam denſitates deſinunt, logarithmicam eſſe demonſtravit, qua de re ad Joannem Scheuchzerum poſtmodum ſcripſit, modeſte profeſſus inventum hocce non ſibi, ſed Parentio, Gallicae Academiae mathematico tribuendum, quanquam ipſe haec omnia inveniſſet priuſquam in Parentii librum incideret, & ut apparet, neſcius primum hujuſce inquiſitionis titulum Hallaejo Geometrae Anglo deberi. Mutuas etiam de hoc argumento cum Hermanno epiſtolas habuit, quod & Verzalia maxime illuſtravit: adjecit enim lineae denſitatum inve-

niendae methodum, quamcumque tandem illae habeant ad pondus incumbentis atmoſphaerae rationem, non modo poſita aeris gravitate in quacumque altitudine, & juxta quamlibet legem variante, ſed ad punctum, quod dicitur terrae centrum, etiam tendente; quod deinceps ad pleniorem problematis de curvatura radii ſolutionem praeſtandum eſſe indicavit. De hac porro radii luminis curvedine quaedam Stancarius in adverſaria retulit, quae tamen Academiae minime communicanda duxit, quippe quae praeſuppoſito directionum gravitatis paralleliſmo (quod ad lineam raritatum conſtruendam aſſumitur) inniterentur. Anno autem MDCCVI. cum in Pariſienſis Academiae commentariis Saveurii acuſticas ſpeculationes perlegiſſet, ut erat non modo ejus ſtudii curioſus, ſed fidibus etiam cantor non inelegans, doctrinam eam diligenter expendit, & in illo praeſertim experimento, quo certus vibrationum aeris numerus ſingulis tonis conveniens inveſtigatur, aliquid deſideravit. Ei defectui ut occurreret, rotam machinatus eſt, certo ferreorum claviculorum, ex ea orthogonaliter prominen-

tium numero inſtructam, quae inter volvendum, ſonum aliquem, tametſi obſcurum, eumque, pro rotationis diverſa celeritate, diverſum, edebat. Hunc ille ſonum ita temperabat, ut alicui ex cytharae fidibus juxta eumdem tonum conſonus evaderet; numerabatque interim rotae converſiones, quot, quanto tempore fierent, atque inde numerum ictuum colligebat, quibus unaquaeque pars aeris a ferreis claviculis rotae affixis eo tempore impelleretur. Sequenti anno de thermometris ab Amontonio recens inventis nonnulla meditatus eſt, eaque thermometra diverſae longitudinis multa conſtruxit; ſimul rationem invenit, qua, integro machinae effectu, fiſtulae pars ſuperior aere vacua haberi poſſet, quemadmodum epiſtola ad Maraldum conſcripta poſtmodum declaravit; eoque artificio corrigendi, pro diverſa aeris preſſione, thermometri neceſſitas omnis effugitur. Anno autem MDCCVIII. cum in ephemeride Trevoltienſi experimenta quaedam a Nugueto habita legiſſet, quae ejus thermometri conſtruendi fundamentum evertere videbantur, ea ſingula experimenta inſtituens, diſſenſus cauſſam ab

ſe repertam ad Academiam retulit. Inventum illud a Pariſienſi quoque Academia probatum, conſentientibus praeſertim Hirii ſpeculationibus, & in commentariis ejus anni a Fontenellio collaudatum eſt. Interea magnus ad Stancarium juventutis concurſus fieri coeperat, quae ad experimentalis philoſophiae, & naturalis hiſtoriae ſtudium, Marſiliani muſaei commodo, & Stancarii praeſertim hortatu incitabatur. Ille omnibus tum voce, tum ſcriptis, de quo quiſque eum conſuleret, ſatisfacere, ut vix ei toto diei ſpatio ad ſeſe colligendum quicquam temporis ſupereſſet; rogatuſque ut nobilibus adoleſcentibus, qui a Patribus Societatis Jeſu educantur, geographiam & militarem architecturam traderet, laborem non detrectavit; atque ad aſſiduam mentis exercitationem corporis quoque defatigationem adjecit. Theſes etiam eodem anno, die XV. Junii in Bononienſi Archigymnaſio propoſuit atque defendit, quibus multa de optica, pneumatica, atque hydroſtatica re diſputavit; tum praeſertim de infinitorum analyſi, cujus ille utilitatem atque praeſtantiam, tum palam in Academia, tum inter familiaria colloquia pluri-

mum inculcabat. Hiſce laboribus, tum aſſiduo meditandi uſu debilitatus, ineunte aeſtate emaciari, & occulto languore confici coepit. Simul domeſtica tuſſi, quae tentare eum quotannis nullo detrimento aſſueverat, acrius exagitari; a nocturno etiam aere, unde alias minime laedebatur, incommodi aliquid perſentiſcere. Die x. Auguſti, cum obſervandis Plejadibus a Luna obtectis, Antonio Leprotto opitulante, noctem impendiſſet, ſputo ſanguinis repente correptus eſt; quod vehemens febris conſecuta in magnum vitae diſcrimen eum adduxit. Paucos poſt dies Joannis Antonii fratris ope, depulſa febri, necdum tamen plane confirmatus ad conſueta ſibi ſtudia rediit. Sed ſuadentibus medicis, ut nocturnis ſaltem obſervationibus abſtineret, ſimul quo ſalubriori aere uteretur, a Marſilianis aedibus in domum ab ſe conductam ſeceſſit; & cum interea Bononienſi Senatui libellum obtuliſſet, quo tradendae publico in Archigymnaſio artis analyticae neceſſitatem demonſtrabat, Senatus, ut qui rei utilitatem intelligeret, in eam ſententiam facile adductus, Stancarium elegit, qui eo munere fungeretur: atque haec

prima ejus tituli in Italicas Academias invectio eſt. Stancarius, tametſi vergente in deterius valetudine, ſub finem Novembris publicam ejus ſtudii praelectionem habuit, qua infiniteſimalem calculum, tanquam ſummum in mathematicis diſciplinis compendium, diſerte collaudavit, atque ex eo tempore juventuti analyſim tradere coepit. Verum initio anni MDCCIX. quae hyems maxime foeda nivibus, & frigore horrida fuit, proſtratis corporis viribus, domi agere, mox etiam in lecto decumbere coactus eſt. Initio de valetudine ſua non multum diffidere; quin & diem cum amicis inter philoſophicas diſputationes traducere; obſervationes etiam nonnullas circa thermometra, & aquarum congelationem inſtituere; mox ut ad contractam aſſidua tuſſi raucedinem manifeſta febris, & ſanguinis, puriſque ſcreatus acceſſit, ſupremam inſtare ſibi neceſſitatem intellexit. Ea re nihil perturbatus, tametſi caſte, religioſeque vitam traducere, ſacroque ritu frequenter ſeſe expiare conſueverat, ad componenda animae ſuae negotia cogitationem omnem convertit. Cum Joanne Baptiſta Regalino, Societatis Jeſu ma-

thematico celebri, cum quo multa illi conſuetudo intercedebat, maximam deinceps temporis partem piis colloquiis exegit. Nocte ea, quae diem XXVII. Martii conſecuta eſt, gargariſmum, quo ad fauces molliendas uti ſolebat, cum aſſumpſiſſet, exigua ejus portio in laryngem illapſa eſt; quo irritamento eo uſque tuſſis invaluit, ut ſpiritum illi pene intercluſerit. Sequenti die, quae Dominicae coenae celebritate ſolemnis erat, Chriſti Corpore refectus, ad extremum ſacro oleo inunctus, placide vita migravit. Corpus ejus in Divorum Coſmae & Damiani aedem illatum, atque ibi conſepultum eſt, incredibili civitatis deſiderio, a qua magnam ſibi expectationem virtute ſua conciliaverat. Simplici fuit ingenio, ſummo animi candore, religione ſingulari, moribus incorruptis, & qui vitae inter ſtudia traductae ſeveritatem oris modeſtia, & ſermonis ſuavitate commendaret; qua de cauſſa nemini mortalium offenſus, nemini infenſus fuit. Mentis autem acumine tantum valuit, ut cum Euclidem nunquam, Archimedis, & Apollonii parum, Galilaei, Carteſii, Hoſpitalii, & Newtoni capita quae-

dam, neque ea ordine perlegiſſet, quaecumque fere in geometria, aut ſtatica acutius excogitata ſunt, aut calleret, aut facile reperiret, ut eas facultates non tam didiciſſe, quam inveniſſe videretur. Non illi ad maximam ſibi gloriam comparandam ingenium, ſed vita defuit: neque enim dubitandum quin nova atque praeclara in mathematicis diſciplinis inventurus fuerit, qui meditando in omnia prope hactenus inventa incidiſſet. Praeter eos, quos Stancarii amicos, laborumve ejus ſocios ſupra memoravimus, Antonium Mariam Valſalvam, Petrum Nannium, Petrum Jacobum Martellium, Matthaeum Bazzanum, Ferdinandum Antonium Campegium, viroſque alios litteratura inſignes plurimum dilexit, ſtudiaque ſua cum illis mutuo communicavit. Poſtremis vitae ſuae temporibus apud Cardinalem Philippum Gualterium Flaminiae Legatum, Joannem Antonium Devia, tunc Arimini Epiſcopum, nunc etiam Cardinalem, Chriſtinum Martinellium Patricium Venetum, alioſque magnos litterarum fautores diverſatus, ſummam ab illis gratiam inivit; cogitabatque aſſiduis itineribus quamplurium Italiae

locorum longitudines, ac latitudines obſervare, quo emendatiorem regionis hujus geographiam haberemus; quam in rem viri illi eximii operam, ſumptuſque pollicebantur. Tractatus nullos abſolutos conſcripſit; neque enim illi perficere licuit quem unum, extremo cum morbo conflictans, de analytica arte inchoaverat. Itaque praeter diſſertationes phyſico-mathematicas, quas in Academia legerat, nihil aliud, quam ſolutas quaſdam chartas, & adverſariorum ſuorum codicem reliquit. In hunc multorum problematum ſolutiones ab ſe inventas retulerat; prae ceteris rectificationem cycloidis, hyperbolae quadraturam per logarithmicam, lineae ex evolutione circuli genitae, item infinitarum ſpiralium dimenſionem; tractoriae quaſdam proprietates, projectorum ſemitas, curvarumque aliarum conſiderationes; praeter faciliora quaedam, juvenilibus annis reperta; quae omnia cum a Scriptoribus paſſim tradita extent, operae pretium non duxi hac collectione complecti. Libentius Hugenianorum Theorematum de vi centrifuga demonſtrationes, ab ipſo deductas ex eodem codice attuliſſem, niſi priora tan-

tum eorum proſecutus, reliqua omiſiſſet; quae etiam de cauſſa meditationes ejus de curva catenaria minime abſolutas, quae apud Antonium Leprottum repertae ſunt, praetermittendas exiſtimavi. Ex Academicis ergo fere diſſertationibus electa ſunt quaecumque hoc volumine uno continentur; iis exceptis, quae de radii luminis oblique aerem trajicientis curvedine ex adverſariis, quaeque de linea denſitatum aeris ex mutuis ad Hermannum, & Scheuchzerum litteris deſumpſi, nec non fragmento epiſtolae ad Maraldum de thermometris conſcriptae, cujus mihi exemplum Carolus Antonius Pizzius communicavit. Neque tamen diſſertationes Academicas omnes, ſed praecipuas tantum afferendas putavi; neque has etiam integras, ſed ut compendio conſulerem, eas tantummodo ſingularum partes, quae ad ipſam inventi ſummam propius pertinerent. Aſtronomicae obſervationes uſque ad annum MDCCIII. a Stancario, & fratribus Manfrediis habitae, ex Euſtachii, aut ipſius Stancarii ſchedis excerptae, atque huc, ne interirent, adjectae, omiſſis iis, quae dietim circa ſolem in Divi Petronii aede, ad

Gnomonem Caſſinianum, ab iiſdem, ut & eorum ſociis factae ſunt; quas omnes, juxta cum antiquioribus a Caſſino, Mengolio, Montanario, Gulielmino, ex quo primum Gnomon deſcriptus eſt, inſtitutis, peculiari volumine collectas aliquando edere decrevi. Quae vero in Marſiliana Specula ex anno MDCCIII. habitae, & in annum MDCCIX. continuatae fuerunt, multo plures ſunt, quam ut in hunc librum commode referri poſſent. Erant & nonnulla experimenta phyſica, praeſertim ad machinam pneumaticam a Stancario facta, quae cum eo interierunt.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO JACQUIERIO S. P. D.

Poſtquam genus humanum inter ſe ſociatum civilibus inſtitutis regi, aliiſque vinculis conſtringi voluit, eo paullatim Imperantium licentia pervenit, ut nil ei integrum ac liberum niſi cogitandi facultatem reliquerit. Sed in hac libertate cogitationum noſtrarum impedimur ſaepe ne quod ſentimus, aperiamus, vel quod modus quidam & ordo ſit ſervandus, vel quod videndum quid deceat, vel quod injuſtitia & falſis inveteratiſque opinionibus eorum, quos aut venerari, aut vereri debemus, prohibeamur. Ceterum nulla eſt tanta vis, quae frenare valeat animorum motus, nec ullus unquam tam ferox tyrannus fuit, qui a ſervorum viliſſimo ſui odium & contemptum aliqua ex parte avertere potuerit. At ſi nullus cogitationis, quidam tamen opinionis poteſt eſſe dominatus, hominumque voluntates illius gubernatione facile reguntur. Itaque qui in ſuadendo plus virtu-

tis habet, is plus imperii in homines habere dicendus eſt. Ipſi mores ac leges maxima ex parte pendere videntur a magnorum Scriptorum ingenio, quod praeſertim noſtra accidere debuit aetate, in qua quae praeſtantiores philoſophi ſcripſere, voluerunt a vulgo intelligi, nec fere ullus eſt, qui veritatis lumen adſpicere non ſtudeat. Et ſane nonne laetandum nobis, quod nunc pudeat ineptas futileſque quaeſtiones, tum in philoſophia, tum in theologia, ut antea, inſtituere, nec ſcire homines cupiant, niſi quod utile omnibus ſit, & quod ad vitae felicitatem conducat? Manſuefacti & exculti homines a poeſi, ceteriſque humanioribus litteris ferre praeſidium labenti philoſophiae potuerunt, quae nunquam fortunatior fuit quam dum Scholaſticorum petulantiam & furorem omnino fregit, & arma e ſuperſtitioſorum manibus eripuit. Tum mercatura quaedam Sapientiae vel inter remotiſſimas Nationes fieri coepit; tum fidentius ac ſecurius veritas ad Regum turres acceſſit, iique ſolum imperio digni judicati, qui aequi, benigni, & humani eſſent; tum qui ſummam rerum publicarum adminiſtrabant, in virtute, officio, atque humanitate percipienda maxime ſeſe occuparunt, objectuſque animis dedecoris publicique con-

temptus timor, validior eſſe coepit, quam poena ex legibus, praemiorumque ſpes. Macedoniae Rex quidam quotidie per captivum admoneri volebat ſe hominem eſſe, humaniterque cum ſui ſimilibus agendum. Ne nos quoque pigeat aliquos eſſe, qui clament juſti & humani eſtote, & in veritate inquirenda, fide pietateque colenda vitam agite. Quae bona quoniam a philoſophia ad nos maxime dimanant, monendos nobiliſſimae facultatis contemptores puto, ut porro quieſcant, & deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua. Quas vero gratias agere non debemus ſapientiſſimis viris, qui fecerunt, ut e ſervis liberi eſſe coeperimus, qui verbis et factis reſponderunt obtrectatorum maledictis, dederuntque magnum conſtantiae exemplum, cum in defendenda ac propulſanda injuria, nec linguam obmuteſcere, neque manus obtorpeſcere unquam ſiverint. Sunt tamen nonnulli (& hi quidem philoſophi nomen haud merentur) qui animum cupiditatibus aegrotum ad deteriorem partem applicant; & quaſi omnis virtus in humani manſuetique ingenii officiis exequendis poſita ſit, cetera omnia aut contemnunt, aut minimi aeſtimant. Adde quod cum nullis terminis circumſcribi ac definiri jus ſuum putent, in alienas poſſeſſiones facile

irruunt, neque intelligunt, ſi quis ingenio praeſtans abutatur cogitandi libertate, quam inſignem Sapientiae notam multi eſſe dicunt, quanto id periculo fiat totius Chriſtianae Reipublicae. In horum vitiis notandis animadvertendiſque fuerunt quidem prudentiſſimi Manferedii Fratres, & dum philoſophiae cauſſam adverſus imperitorum conatus magno labore ſuſtinuerunt, audaciorum quoque petulantiam atque libidinem repreſſerunt. Factum etiam eorum, aliorumque doctorum Bononienſium induſtria, ut unus, idemque ſenſus eſſet, eadem voluntas Civium omnium in honoranda, fovenda, atque amplectenda philoſophia adeo verum eſt dominari in optima civitate eloquentiam, omniumque mentes ad eorum, quos ſapere prae ceteris putant, arbitrium facile conformari. Vellem equidem tantorum virorum laudibus ſatisfacere; ſed cum ingenio meo diffiderem, quaeſivi adjumenta a ſingulari doctrina tua, maximaſque tibi gratias & habere, & agere debeo, quod ſiveris in vulgus edi quae in vitam Euſtachii Manfredii pro tua in me, & in mortuum benevolentia addidiſti. Vale.

Piſis Kal. Decemb. MDCCLXXVIII.

EUSTACHIUS MANFREDIUS

EUſtachius Manfredius Bononiae natus eſt patre Alphonſo, matre Anna Maria Florena anno a Chriſti ortu MDCLXXIV. XII. Kal. Octobris Pater ejus Alphonſus e Luco, quod eſt florentiſſimum oppidum Ferrarienſis Provinciae, Bononiam conceſſerat, ibique Notarium agebat. Hic, prout ipſe amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, moxque philoſophia filium ab optimis praeceptoribus erudiendum curavit. Quibus in ſtudiis tanto ille anteceſſit condiſcipulos, ut facile intelligi poſſet, ad quamcumque facultatem ſe applicuiſſet, pari modo omnes ſuperaturum. Pater itaque perpauca in re quaeſtus illecebra invitatus, juſſit eumdem ad juris prudentiam potiſſimum ſe conferre, cui quidem ſic dedit operam, ut annos natus duo de viginti inſignia doctrinae ſit aſſecutus. Sed praeſertim illum ad ſe alliciebat philoſophia, cujus ſtudium pariter

cum

ſum aetate in eo creſcebat. Videns vero adoleſcens ingenio acutiſſimus, quod ſiquis ab ea philoſophiae parte, quae in tenebricoſis, naturaque involutis quaeſtionibus verſatur, lucem mathematicarum facultatum tolleret, nihilo plus agere quam ſi tenebras tenebris offunderet, eas ſibi excolendas, nemine licet praeeunte, putavit. Ad geometriam, & geographiam contulit ſe primum, mox ad gnomonicam, & opticam, & ad reliquas deinceps. Neque his contentus, aſtrologiam (1) quoque attingere voluit, credo invitatus multorum illuſtrium virorum exemplo, e quibus nominaſſe ſufficiat Galilaeum, Caſſinium & Guglielminium, quos illa aetate non puduit huic facultati multam operam impendere. Sed hoc ſpecimen fuit prudentiae Manfredii, quod licet, ut caſus fert (nam quae ratio afferri unquam poterit cur, exempli gratia, ſtella jovis, ac veneris conjuncta cum luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit; ſaturni, martiſve contraria?) ex natalitiis quorumdam ſideribus nonnulla vere praenuntiaverit, rem tamen ratione magis aeſtimans, quam ſucceſſu, ſic eamdem illam facultatem poſtea irriſit, ut ne-

mo unquam irriſerit magis. Neque ſubtiliſſimarum facultatum unus ardor erat in eodem. Nam Italicae poeſis ſuavitate captus, ita ſe legendis ſcribendiſque carminibus dedit, ut inde vel praecipuam ſibi famam comparaveverit, magna quidem immaturae ejus aetatis commendatione, quod non aequalibus modo ſuis in eo genere antecelleret, verum etiam cum claris viris conferretur, qui poeſis laude praeſtare tum putabantur. Haec ſunt curricula, in quibus prima Euſtachii adoleſcentia, impetu quodam animi concitata ſe exercuit. At rerum varietas ac magnitudo, quas guſtavit in mathematicis diſciplinis, adeo harum ipſum inflammarunt amore, ut penitus relicta juris prudentia, earumdem ſtudium ratione atque ordine ſibi inſtaurandum putaverit. Florebat tum Bononiae mathematicus ſummus Dominicus Gulielminius, cujus paullo ſupra mentionem fecimus, huncque Euſtachius adeo admiratus eſt atque adamavit, ut ſe totum ei traderet. Neque vero minus Gulielminius delectatus eſt Manfredio. Etenim hic ſingulari ingenio ſingularem induſtriam cum adjungeret, dubitare non ſinebat talem

ſuturum, qualem cognitum omnes poſtea judicarunt. Ad hoc fulgebat in adoleſcente virtutis indoles cum quadam ſpecie liberali, ex quo eximium illud neſcio quid videbatur exiſtere, quod homines allicere ſolet. Sed quamvis Euſtachius dies ac noctes in rerum graviſſimarum meditatione verſaretur, aliquid tamen temporis nanciſcebatur, ut ſe cum Muſis oblectaret; ſicque triſtitiam ſeveritatemque diſciplinarum mathematicarum mitigaret ac relaxaret. Nemo ignorat, & nos ſaepe dolebimus, quantum ſuperiori ſaeculo detrimentum fecerint humaniores litterae. Suo regno pulſa Italica poeſis, in quo collocata fuerat opera praeſertim Dantis & Petrarchae, nec non doctiſſimorum virorum, qui ſaeculo XVI. floruerunt, jacebat in ſitu ac ſqualore. Ea enim caligo perſtrinxerat mentes hominum, ut nullus eſſet ſcriptorum delectus, nullae leges, inflatum ac tumidum vigeret dicendi genus, exquiſita antitheta, abſurdae tranſlationes, putidae argutiolae, & reliqua hujuſmodi vitia, adeo ut qui pejus dicerent, melius loqui putarentur, ac nemo poeta haberetur, qui illis vitiis non eſſet infectus. Quae peſtis cum

late eſſet graſſata, ut reliquas Italiae urbes, Bononiam quoque invaſerat. In has corruptelas cum incidiſſet prima Euſtachii aetas, hunc abſorbuit quidam conſuetudinis aeſtus, & ad ſcriptionis morem uſitatae traxit. Verum, ut erat ille acerrimo judicio, ſenſit cito quantis in tenebris verſaretur; cumque ad veteres ſcriptores tanquam ad lumen reſpexiſſet, ſanum ac ſplendidum ſibi comparavit ſtylum, qui non ſolum paucis iis viris, quibus cor ſaperet, fuit acceptiſſimus, ſed etiam iis, qui de via deflexerant, probari coepit, quod in eo plenum quiddam ac ſonans eſſe videbatur. Hoc ſtylo conſcripta ſunt carmina, quae in unum librum collegit, ac ſemel iterumque vulgavit Joannes Petrus Zanottus: nam quae ſibi adoleſcentulo, ſeu potius puero exciderant, ne quid apud poſteros de laude ſua detrahi aliquando poſſet, in ignem conjecit. Sunt in eo libro quatuor ſupra quinquaginta illorum breviorum poematum, quae nos Itali dicimus *Sonetti*; quo in genere non video, cui cedere debeat Manfredius. In his nihil aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longius ductum, ſed omnia libere fluentia,

omnia pura ac propria, omnia ſplendide dicta, ſuoque loco poſita; apteque adeo extrema cum primis inter ſe cohaerent, concluduntque ſententiam, ut nihil demi vel addi poſſe videatur. Sunt & quaedam *vóni Canzoni* nobis dicuntur, quarum prima, quae eſt de laudibus Juliae Vandiae, dum illa virginem ſeſe Deo dicaret, tantum meruit plauſum, ut muſarum hoſtes ii haberentur, qui illam memoria non tenerent. Puellam ſane formoſiſſimam amaverat Manfredius, idque verſibus ſic expreſſit, ut amores & Poeta digni, & Virgine viderentur. Sunt etiam alterius generis carmina, & meo quidem judicio nihil nobilius eo, quo laudes ac virtutes cecinit immortalis Regis Ludovici XIV. iiſque duobus, quae inſcribuntur *del Paradiſo*, in quibus Dantem imitatus, ſic illum aſſecutus eſt, ut haud ſciam, an ei par eſſe poſſit. In his multa admiſcuit ex intima philoſophia, expoſuitque ſplendide ornateque Carteſii decreta de vorticibus, quae etiam tum Italicis Muſis fuerant incognita. Sic cum Euſtachii adoleſcentia eſſet multis litteris ad ſummam laudem ornata, & in illum omnium conje-

cti oculi eſſent ſuorum civium, facile obtinere potuit munus docendi in patrio Gymnaſio mathematicas diſciplinas. Hic vero primus fuit fructus, praeter illum laudis & gloriae, quem cepit ipſe ſtudiorum ſuorum annum agens vigeſimum ſextum. Conflictatus tamen eſt cum adverſa fortuna. Pater ejus, domo familiaque relicta, Romam conceſſerat, ubi cum aliquandiu in egeſtate vixiſſet, tandem amicorum opera Tuſculanam Praefecturam conſecutus eſt. Sed ex hac tantum non capiebat emolumenti, ut eo conſulere filiis poſſet ſuis, cum vix ſibi ſufficeret. Euſtachius ergo, uti natu maximus, partes ſuſcepit regendae ac ſuſtentandae familiae. Verum cum re familiari, ut initio docuimus, valde laboraret, cumque exiguum eſſet annuum ſtipendium, quod ei de publico aerario numerabatur, brevi in ſummas anguſtias ſe adductum ſenſit. Hac ille perculſus calamitate non ſuccubuit, neque eo ſecius ſtudiis ſuis vacavit. Sed illa etſi animi magnitudinem non frangebat, tamen imminuebat. Verum non diu is caruit amicorum in ſe tuendo facultatibus, in quibus enituit Joannes Joſeph Ur-

ſius, vir non minus litteris ac virtutibus, quam opibus ac generis nobilitate clarus, qui poſſe liberalitate uti in amicos maximum pecuniae fructum eſſe ſemper cenſuit. His ſubſidiis Euſtachius non modo ſuis proſpicere, ſed privatam quoque ſpeculam ornare potuit. Nam hoc tempore quantum vacabat a publico munere, tantum aſtronomiae ſtudio tribuebat, quod tribus annis ante ſuſceptam hanc docendi provinciam aggreſſus fuerat. Cauſſa aggrediendi haec fuit. Jacebat deſerta & neglecta omnium celeberrima meridiana linea (quae enim eſt alia ſive gnomonis altitudo, ſive diviſionum ſubtilitas, ſive Auctoris fama ſpectetur, quae cum illa comparari poſſit?) quam Bononiae in S. Petronii anno MDCLXV. aſtronomus ſummus Dominicus Caſſinius conſtruxerat. Nemo enim in ea urbe erat, qui aſtronomiae ſtuderet, cujus ſtudium etſi aliquando coluerat Gulielminius, anni tamen plures erant, cum illud intermiſerat; nec ſpes erat fore, ut illud in conſpectu ſuorum civium renovaret, cum hoc tempore honeſtiſſimis ſane conditionibus invitaretur a Senatu Veneto ad tradendas Patavino in Gy-

Digitized by Google

mirabantur omnes Manfredii, ac Stancarii ingenia, eaque pene divina praedicabant, quod potuerint praeclaram difficilemque hanc ſiderum ſcientiam ab interitu, nullo praeunte, ſuis ipſi conatibus vindicare. Multi quoque rei novitate allecti ad eos concurrebant non adjutores, ſed curioſi auditores, ſpectatoreſque, quibus omnibus ii faciebant ſatis, quod non putarent homines facillimi, humaniſſimique iraſcendum eſſe intempeſtive accedentibus, & inepte interdum interrogantibus, ne in odioſam moroſitatem inciderent. Verum plane digni fuerunt, quos haberent obſervationum ſuarum participes, Joannes Baptiſta Morgagnius Stancarii contubernalis, tres non modo fratres, ſed etiam, quod mireris, binae ſorores Euſtachii, qui omnes aſtronomis noſtris multis in rebus magno erant uſui. Harum obſervationum ſeriem ad annum uſque MDCCIII, unde initium ſumunt obſervationes habitae in aedibus Ferdinandi Marſilii, in quas Euſtachius paullo ante immigraverat, idem accurate perſecutus eſt in eo libro, quem *de Schedis Mathematicis Stancarii* compoſuit. Eodem anno MDCCIII, librum edidit *de ſolaribus me-*

culis, quae maculae improviſo e ſole emergentes, omnium aſtronomorum ſtudia (dudum enim deſiderabantur) mirum in modum commoverunt. Hunc librum qui legerit, intelliget quae ſuerit in illis maculis & directio, & celeritas notata, quae duo maxime inveſtiganda erant; ad quod quantam diligentiam Euſtachius, ejuſque ſocii contulerint, ex hoc conjici facile poterit, quod eorum obſervationes fere omnino conſentientes fuerint cum iis, quas in Gallia ſummi viri, iique diligentiſſimi habuerunt. Ab hoc curriculo, in quo Euſtachius tanto animi ardore, tantaque nominis ſui gloria verſabatur, deflexit parumper, animumque ad Hydroſtaticam tranſtulit. Nam an. MDCCIV. Senatus Bononienſis coercendis ſui agri fluminibus, a quibus maximae calamitates impendunt, illum praefecit. Scimus apud Perſas officium Praefecti aquarum inter praecipua illius gentis munera recenſeri, ſummoque in honore eſſe; ac nonniſi cives fide, & induſtria cognita ei praeeſſe. Eſt & eodem loco apud Bononienſes, ſed contraria prorſus ratione. Nam quod illic ſiccitas, difficultaſque ſatis & aequaliter terras rigandi,

hic facit aquarum copia, ac difficultas illas dirigendi, avertendique. Cum provinciam ſuſtinuiſſet, quindecim circiter annis Gulielminius, hanc aquarum ſcientiam anguſtis antea limitibus circumſcriptam adeo provexerat, ut ſcientiam propemodum novam effecerit. Intelligens ergo Manfredius, quam ſcopuloſo difficilique in loco verſari deberet, quantoque viro ſuccedendum eſſet, verecunde ac dubitanter onus ſuſcepit. Sed ſe ipſum non norat, nec ſatis ſciebat quid in hoc etiam genere efficere poſſet. Vigebat tum maxime celebris controverſia Bononienſes inter & Ferrarienſes de reducendo Rheno in Padum, cui ſe quoque immiſcuere Veneti, Mantuani, Mutinenſes, ac pene omnes Ciſalpinae Galliae populi. Non eſt credibile quantum negotii Manfredius cum his omnibus habuerit, quantiſque implicitus fuerit moleſtiis. Sed vis & magnitudo caritatis erga Patriam efficiebant, ut facile omnia ejus cauſſa perferret. Multa ſcripſit ut id quod intenderat confirmaret, & id quod contra diceretur, refelleret; quod docte adeo, ſcienterque praeſtitit, ut inde magnam famam ſit conſecutus. Quae cum percrebeſceret in-

dies magis, eo tandem pervenit, ut ſere omnes hujus generis controverſiae ex univerſa Italia ad ipſum deferrentur, neque ulla res major geſta ſit, de qua prius decretum fuerit, quam Manfredii ſententia cognita. Quae ſingula ſi vellem explicare, non vitam ejus enarrare, ſed hiſtoriam viderer ſcribere, idque non ſine lectorum ſatietate. Itaque praecipua capitulatim exponam, ne minus lucide appareat, quantus in hoc genere vir ille fuerit. Lucam venit, ut eſſet judex controverſiae, quam Lucenſes cum Hetruſcis habebant de dirigendis aquis fluminum Auſeris & Oſeris. Iidem Lucenſes illum & conſuluerunt, quid ſibi faciendum eſſe putaret, ut ſiccarentur paludes, quae ſunt in viciniis Viaregii; utque impedirentur alluviones, quae ſaepe fiebant in ea parte, qua Auſer in Oſeris alveum influit. Tutiorem docuit derivationem aquarum, quae ex Clanibus fluunt. Ejus conſilium (3) magnae utilitati fuit Fanenſibus in inſtauratione portus. Sed praeſertim Ravennatibus multam & utilem operam praebuit in contorquendis in alium curſum aquis Bedeſis & Vitis. In eo congreſſu, qui anno MDCCXXV. ipſi fuit cum

claris Mathematicis Faventiae apud Cardinalem Piazzam, ita Patriae cauſſam ſuſtinuit adverſus Corradum, qui in ea erat ſententia per novum alveum deducendas eſſe Bononienſis agri aquas, ut non modo ſuperior diſceſſerit, ſed etiam coegerit adverſarium fateri, magno ſe in errore verſatum fuiſſe. Triennio poſt venit in congreſſum colloquiumque cum ſummis quoque mathematicis Grandio, Zendrinio & Marinonio, laudemque non minus boni civis (nomine enim Patriae venerat) quam doctiſſimi hominis reportavit. Conſultus eſt de ratione exſiccandi Pontinam paludem, deque reſtituendo Antiano portu. Qua in poſtrema conſultatione ſingularis cognita eſt Manfredii modeſtia. Etenim nonniſi aegre admodum ab eo impetrari potuit, ut ſententiam ſuam proferret, cum diceret, parum ſe noſſe vim & naturam aquarum fluentium, penitus vero ignorare vim & naturam maritimarum. Haec omnia vero utrum eidem magis glorioſa, an laborioſa fuerint, non facile eſt judicare. Nam & difficillima itinera ſaepe ſuſcepit iniquiſſimis temporibus, & interdum etiam vitae periculum ſubiit. Id maxime evenit ei

tum Auſeris ripas, totumque aquarum curſum e ſuperiori loco proſpicere, eamque ob cauſſam manibus, pedibuſque adnixus in altiſſimae rupis verticem evadere voluiſſet. Nam eo proceſſit, ut neque pendere ibi diu, neque progredi poſſet, neque jam regredi tutum eſſet in ſalebroſa, & horrenda crepidine, flumine rapido minaciter ſubterfluente. Haeſit aliquantulum ſtupenti ſimilis, ubi repente ſe tot cinctum periculis animadvertit. Sed cito animum revocavit, imploratoque Dei, hominumque auxilio, potuit ſe uſque adeo ſuſtinere, quoad ſcalae & funes allatae ſunt. Paucis menſibus antequam Manfredio aquarum Praefectura daretur, electus fuit ad regendum Collegium Montis Alti, quod olim Sixtus V. ad homines ſuae Provinciae in doctrinis praeſertim Eccleſiaſticis erudiendos Bononiae condiderat. Plane hoc munus non erat dignum viribus Manfredii, qui majora in Republica onera ſuſtinere poterat. Subiit ille tamen, quo facilius domeſticae ſubvenire poſſet inopiae. Ac primum omnium ad conſtituendam diſciplinam adjecit animum; & quanquam ſibi res eſſet cum indomitis, & effrenatis adoleſcentibus,

qui deſertis liberalibus ſtudiis, & repudiata omni diſciplina, regi antea nullo modo potuerant, tantum tamen lenitate, prudentia, optimiſque praeceptis atque inſtitutis effecit, ut ii, poſita paullatim ferocia, petulantiaque, collegerint ſeſe, atque ad bonam frugem redierint. Pari felicitate uſus eſt in excitandis iis ad laborem, doctrinarumque ſtudium. Nam brevi eo ventum eſt, ut plures eſſent qui freno, quam qui calcaribus egerent. Ex his multi inſignes Theologi, legum ſacrarum periti, ac Poetae quoque haud vulgares extitere. Sed ſatis mirari non queo, quomodo Euſtachius, qui erat cum animo, tum opera diſtentiſſimus, qua de Collegio, qua de aquis, qua de Gymnaſio, potuerit non modo ad ſtudia aſtronomiae redire, ſed etiam in humanioribus litteris verſari. Anno enim MDCCV. vulgavit Latinam epiſtolam ad praeſtantiſſimum mathematicum Dominicum Quartaronium, qua defenſionem ſuſcepit cujuſdam Anonymi ab illo impugnati, qui ſexdecim propoſitis capitibus, urgebat correctionem Kalendarii. Biennio poſt, cum primus omnium Cometam in Capricorni Aſtro animadvertiſſet,

Digitized by Google

hunc diligentiſſime obſervavit toto eo tempore, quo in caelo apparuit (id fuit a die VII. Kal. Decembris ad Januarii initium) ejus curſum accurate deſcripſit, & puncta praecipue conſtituit, in quibus idem Eclipticam, & Aequatorem, ut itineris ſerebat ratio, ſecuit. Parallaxim (4) quoque Caſſiniana methodo quaeſivit, ſed ea fuit ſi non plane nulla, at certe uſque adeo exigua, ut plane nulla videretur. Planetarum etiam conjunctiones, oppoſitioneſque ab eo & ſociis determinatae, veneris ſidus in ipſa cum ſole conjunctione in meridiano deprehenſum, multae denique aſtrorum poſt lunam occultationes tam noctu, quam interdiu adnotatae. Inierant hi quaſi quandam ſocietatem obſervationum cum celebrioribus Europae Aſtronomis; hique erant Romae Franciſcus Blanchinius, Genuae Paris Marchio Salvagus, Mutinae Cajetanus Fontana, Parmae Achilles Beccadellius, Tiguri Joannes, & Jacobus fratres Scheuchzeri; Norimbergae Eimmartus, Wrzelbaurius, Mullerus; Maſſiliae Antonius Laval, Montiſpeſſulani Bonius, Plantada, Clapiaeus; Lutetiae Caſſinius major, & Maraldius. Cum his igitur

tur ſaepe Euſtachius per litteras egit de rebus caeleſtibus, aliiſque graviſſimis; ejuſque ſententia magni erat apud omnes momenti ac ponderis. Praeter haec Ephemerides motuum caeleſtium, de quibus mox dicemus, ſcribendas ſuſcepit. Ut vero de manſuetioribus Muſis benemereretur, defenſionem arripuit Joannis Joſephi Urſii adverſus Scriptores Ephemeridum Trevolitienſium, confecitque Italicam epiſtolam ſumma elegantia conditam, in qua demonſtrat, injuria ab illis inſimulari Marinum nimium exquiſitae ſententiae, quod deflens obitum Poetae Aloyſii Gradonici familiaris ſui, dixerit muſas cum eo & mortuas, & ſepultas fuiſſe (5): ſimul & illud oſtendit Gallicam Poeſim, ſi ſubtraxeris metrum, & illud ſimiliter deſinens, haud diſtingui a ſolutá oratione: contra Italam quaſi alia quadam lingua loqui, ſuaſque habere formas excogitandi; & ex hoc diſcrimine fieri, ut Galli haud guſtent rationem, quam in ſuis carminibus Itali Poetae ſequuntur. Ex hac profecto epiſtola apparet, quanto ingenii acumine praeditus eſſet Euſtachius, & quam doctus intelligenſque eſſet exiſtimator veteris Poeticae, no-

ſtrae, & Gallorum, in quorum ſcriptis praeſertim Tragicorum eum ſcimus in adoleſcentia ſtudioſe & multum volutatum, eorumdemque quaſdam etiam Tragaedias Italas feciſſe. Nec multo poſt, rogatu Marii Creſcimbenii, accurate eleganterque more ſuo vitam ſcripſit ſummi viri Marcelli Malpighii, eaque legitur in primo volumine Vitarum illuſtrium Arcadiae Paſtorum. Sed in primis in eo elaboravit Euſtachius, ut Italicae Poeſis ſtudioſi haberent collectionem aliquam: quae a Poetis ſaeculi XIV. ad ultimos uſque procedens, contineret quidquid praeſtantius ipſi condiderant in eo poeſeos genere, quod lyricum appellatur; & ex qua, quae cujuſque aetatis, celebriorumque auctorum ſcribendi ratio voluntaſque fuerit, intelligi poſſet. Ad hanc conficiendam neceſſe ei fuit omnium pene Poetarum libros evolvere, ex quibus quidquid elegit, non ſolum illo ſuo ſincero & ſubtili judicio, ſed aliorum etiam intelligentium virorum probari voluit. Qui vero legat ea, quae praefatus eſt in primo volumine, non multum deſideret hiſtoriam contextam mutationum quas habuit Itala Poeſis. Atque

ex hoc opere laudem ipſum non quaeſiiſſe ex hoc conjici poteſt, quod illud nomine Auguſtini Gobbii, qui Alumni locum Collegio in Piceno obtinebat, vulgavit. Parva quidem haec ſunt, ſi ſpectentur ſumma illa ſua in litteratorum Rempublicam, & in Patriam merita, ad quae magis magiſque declaranda libet aliqua interponere de origine Bononienſis, ut vocant, *Inſtituti*, adjectaeque ei Academiae. Aloyſius Ferdinandus Marſilius vir nobilitate & opibus, & bellica virtute, doctrinaque ornatiſſimus, cum intelligeret Phyſicam, ſi ſit praeſertim a Geometria ſejuncta, ſine ope experimentorum obſervationumque mancam ac debilem eſſe; haec vero capi atque haberi ſine magno inſtrumentorum, machinarum, ceterarumque rerum apparatu non poſſe, ſtatuit hac in re civium ſuorum utilitati conſulere. Itaque occaſionem idoneam nactus propter multa, quae ei ſuſcipienda fuerunt itinera ſive ad bella gerenda, ſive ad componenda foedera, vir ſcientiſſimus teleſcopia, horologia, quadrantes, organa alia aſtronomica, machinam Boyleanam praeſtantiſſimam, microſcopia, magnetes inſigni vi, ba-

rometra, thermometra, inſtrumenta tornandorum corporum, foſſilia omne genus, metallorum matrices, ſales, ſulphura, pellucidos lapides, aliaque ejuſmodi permulta infinito labore ac ſumptu comparavit; eaque omnia Bononiam in domum ſuam deportanda curavit. Ad hanc cum multi ingenii laude praeſtantes adoleſcentes rerum novitate allecti confluerent, iiſdem illis rebus impulſi atque incenſi ſunt ad naturae inveſtigationem. Verum unus omnium maxime florebat Euſtachius, qui, ut ſupra demonſtratum eſt, in eamdem domum immigraverat, propterea quod Marſilius tractandae cuſtodiendaeque litterariae huic ſuppellectili ipſum praefecerat, aedificandaeque ſpeculae curatorem conſtituerat. Sic domus Marſilii, quaſi ludus quidam atque officina reconditiorum diſciplinarum effecta eſt. Ille interim de condendo *Inſtituto* cogitare caepit, qua in re principem conſilii Euſtachium habuit. Acta cum Senatu res eſt, cumque conditiones conveniſſent, Marſilius omnia illa, quae apud ſe collegerat, publico in loco civium ſuorum uſui, Patriaeque ornamento conſecravit. Poſt hoc ſex creati Magiſtri; in iis Euſtachius, cui

data eſt Aſtronomiae provincia. Quo factum eſt, ut relicto Collegio, quo ab aedibus Marſilianis conceſſerat, in domum *Inſtituti* ſe contulerit. Tali modo condito *Inſtituto* (id fuit anno duodecimo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum) Euſtachius auctor fuit Marſilio, dandae operae, ut *Inquietorum* Academia illi adjungeretur, quod facile a Senatu impetratum eſt. A quibus illa profecta ſit initiis, quoſque per gradus ad eam, in qua nunc eſt, altitudinem pervenerit, breviter explicabimus. Cum Euſtachius in pueritia, ut initio docuimus, nobilis inter aequales ferretur, omneſque incitaret ſtudio ſuo, accidit, ut ex his multi ad eum venirent, quo in Philoſophia exercerentur. Quod quiſque vellet in medio ponebatur, & in utramque partem diſſerebatur non ad copiam Rethorum, ſed ad Scholaſticorum morem, tenuiter ſcilicet & jejune. Interim a quibuſdam cogitatum eſt de dirigendis hujuſmodi exercitationibus ad leges quaſdam, dandaque huic conventui Academiae forma. Itaque & leges conditae, & Princeps creatus, cujus annuum eſſet imperium; aſſumptumque Inſigne, quod erat terrae glo-

bus cum ſole & inerrantibus ſtellis, atque anguis, qui caudam ore tenens ad ſignificandam aeternitatem, illa omnia complexu ſuo coercebat. His autem inſcripſerant: MENS AGITAT; quodque in haec verba, atque in illud ipſum Inſigne maxime convenire videbatur, *Inquietorum* nomen ſibi ſumpſerunt. Manſit Academia apud Manfredium quatuor annis, ab anno ſcilicet MDCXC. ad annum MDCXCIV., mox ad Jacobum Sandrium doctum virum, & medicum clarum migravit, locum quaerens opportuniorem commodioremque. Eo tempore Bononiae ſtudiorum cauſſa commorabatur Joannes Baptiſta Morgagnius, de quo ſupra mentionem fecimus, ſingulari ingenio adoleſcens, multiſque jam tum praeſtans artibus, ac diſciplinis, facile ut appareret, omnia conſequi poſſe, ſimul ac velle caepiſſet. Hic, Manfredius, & Stancarius inierunt conſilia (erant enim inter ſe & amicitia, & omni voluntate, ſtudiiſque conjuncti) de novis condendis legibus, abolendaque veteri diſputandi ratione, & quod nimis jejuna eſſet, & quod iiſdem de rebus ſemper quaſi dictata decantaret, vel ſi aliquid novi quae-

geret, non ſolum non reperiret, ſed etiam quae ante fuerant detecta, prope iterum contegeret, ſic ut diſputantes nihil commutarentur animo, & iidem abirent, qui venerant. Sed cum viderent huic rei multos adverſarios fore (nam ſaepe ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatae ratio ipſa cedat) illius conficiendae tempus idoneum expectandum putarunt. Haec cum molirentur, Princeps Academiae creatur Morgagnius. Cum nihil igitur opportunius potuiſſet accidere, leges deſcribuntur, Academicorum animi pertentantur, laudantur prompti, confirmantur dubii, incitantur ſegniores, diffidenteſque oppugnantur. Hoc facto, convocat concilium Morgagnius. Conveniunt frequentes Academici. Ad unum omnes probant illius ſententiam, quam gravi ſplendidaque oratione explicavit. Sic trium virorum prudentia Academia Scholaſticorum tyrannide liberata eſt, relictoque inani ſtudio certandi, totam ſe convertit ad excolendas mathematicas diſciplinas, naturamque per experimenta inveſtigandam. Quo factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur.

Cumque eo jam proceſſiſſet, ut cum celebrioribus Italiae Academiis certare poſſet, & diſceſſu Morgagnii, & morte Stancarii, aliiſque de cauſſis tanta rerum commutatio facta eſt, ut vix ulla amplius eſſe Academia videretur. Sed percommode accidit, ut illa *Inſtituto* adjungeretur. Nam ex hoc tempore Academici exarſere ad gloriae recuperandae cupiditatem; hominesque ingenioſi induſtriique illud aſſecuti ſunt, ut haec *Inſtituti Scientiarum* Academia (hoc enim nomine nomen *Inquietorum* libuit commutare) florentiſſima multum omnibus fere Italicis gloria praeſtet. Porro laetiſſimus cunctae Civitati fuit dies, quo *Inſtitutum* cum ſua Academia publice ſolemniterque Muſis inauguratum eſt. Is fuit III. Idus Martias anni MDCCXIV. Eodem die ceteros inter Manfredius ea ipſa diſſeruit, quae poſtea pluribus perſecutus eſt in ſuis *Ephemeridum* libris, de nova eclipſium praedicendorum ratione, poſuitque exemplum in eclipſi, quae futura erat anno ſequenti VI. nonas Majas. Poſt hoc in eos, qui aliquem honoris gradum tenebant, quique huic ſolemni inaugurationi intererant, librum diſtribuit, quem ipſe confecit *de Sche-*

dis Mathematicis Stancarii, quem ſcripſit Senatoribus *Inſtituti* Praefectis. Optandum erat, ut quoniam huic ſingulari viro, qui in matura aetate ad ſummi Mathematici & Philoſophi laudem pervenerat, vita prius erepta eſt; quam ei licuerit mandare litteris ingenii ſui monumenta, aliquis curam ſuſciperet illa colligendi, edendique. In quo quidem libentiſſime elaboravit Euſtachius, tum ut publicae utilitati, Patriaeque gloriae, cum ut immortalitati hominis cariſſimi conſuleret, cujus etiam vitam & mores in eodem illo libro deſcripſit. Anno poſt bina *Ephemeridum* volumina in vulgus edidit, eaque ſummo Pontifici Clementi XI. dicavit. Pergratum ac perjucundum ſibi munus fuiſſe Pontifex humaniſſimis verbis Lancifio ſignificavit, eique, ut juſtas debitaſque gratias Manfredio ageret, negotium dedit. Plurimi enim ille liberalium artium ſtudia, doctoſque homines aeſtimabat. His vero libris nihil poteſt eſſe utilius Aſtronomiae ſtudioſis. Nam Euſtachius non ſic fecit ut ceteri fere omnes hujus generis ſcriptores, qui divinandi levitate hujus facultatis terminarunt modum, cum nihil ille tam irri-

deret, quam praedictionem ex aſtris rerum humanarum, ſed omnia complexus eſt, quae ad Aſtronomiam utcunque pertinerent, cujus principia, omneſque ſupputationum modos primo in libro expoſuit. Hinc diligenter notati in iis reperiuntur Lunae tranſitus per meridianum circulum, ejuſque declinationes; trajectiones Planetarum, horumque appulſus cum ad ſe invicem, tum ad Stellam quamcunque primariam, Lunae cum Planetis conjunctiones, eclipſes Satellitum Jovis, aliaque plurima cognitione digniſſima. Fatetur idem, tot calculorum confectionem infiniti fuiſſe laboris, quem tamen ei aliqua ex parte levavit labor Sororum. Atque has rationes duxit ipſe e tabulis Aſtronomicis Joannis Dominici Caſſinii, quas longa obſervatione a ſe confectas, ac nunquam editas libentiſſime Euſtachii poſtulationi conceſſit. Haec volumina, quae annos decem continent, ſecuta ſunt alia duo, quae ab anno MDCCXXV. ad annum uſque MDCCL. *Ephemerides* perducunt. In his conficiendis praeter Sorores, alios quoque ſocios laboris ſibi ſumpſit Euſtachius, cum expertus fuerit, plus ſe oneris ſuſtuliſſe, quam pars

virilis ferre poſſet, preſertim occupata opera, impeditoque animo. Secutus eſt eaſdem tabulas Caſſinianas, correctione tamen quadam adhibita, in Jove praeſertim, ac Saturno, at partim etiam in Mercurio poſt obſervationes a doctiſſimis viris Maraldio, & Caſſinio juniore habitas, ac ſecum pro ea, quae ſibi cum iis intercedebat, familiaritate communicatas. Conſtat inter omnes, nihil ab aliis, nec Regiomontano, nec Magino, neque Keplero exceptis, fuiſſe perfectum, quod hi libri longe multumque non ſuperent, qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum iis, qui in Aſtronomia verſantur, deeſſet; earumque utilitas manaret quoque ad Chronologiam, Geographiam, artemque Nauticam. Neque praetereundum eſt, eos qui ſunt apud Sinenſes verbi Dei praecones, his ipſis libris uti, ex quibus exiſtimari de ingenio Europaeorum debeat, quos prae ſe illi populi pene rudes atque agreſtes putant. In Arcadia quoque *Ephemeride* condenda, jubente coetu Paſtorum, in quem jam ab anno MDCXCVIII. nomine Acidis Delpuſiani cooptatus fuerat, multos annos ante elaboravit Manfredius, in quo tamen primae

partes fuerunt magni nominis aſtronomi Franciſci Blanchinii. Interim Bononienſes illum Romam miſerunt cauſſa controverſiae, quam ii cum Ferrarienſibus, ſicut ſupra ſignificavimus, habebant de Rheni aquis. Quot quot erant in Urbe doctrinae ac litterarum laude praeſtantes homines, eos potuit facile ſibi coniungere, quod celebre ejus nomen erat, quodque brevi ſumma in ejuſdem conſuetudine & familiaritate ſuavitas cognita eſt. Sed praeſertim conjunctiſſime, jucundiſſimeque vivebat cum Juſto Fontaninio, Nicolao Fortiguerra, Joanne Maria Lanciſio, Franciſco Blanchinio, Caeleſtino Gallianio, Proſpero Lambertinio, Philippo Montio, Joanne Baptiſta Zappio, & Mario Creſcimbenio, quorum omnium pervulgata ſunt nomina. Hoc quoque ad animi ſui delectationem, fructumque ducebat eſſe permagnum, diligenter obſervare vetuſtatis aedificia, eorumque reliquias; atque inviſere locos, in quibus memoria dignos viros acceperimus eſſe verſatos. Quanquam id fere infinitum eſt in hac Urbe. Quacunque enim ingredimur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus. Paucis tum menſibus Romae fuit Eu-

ſtachius. Eodem vero ineunte an. MDCCXVII. remigrare juſſus, biennio fere commoratus eſt. Hoc tempore lepidam illam de vidua Epheſina ex Petronio fabellam in Arcadum coetu dixit, quam tanta elegantia condivit, ut Boccaccium ſcripſiſſe non puderet. Legi haec poteſt in ſecundo volumine earum rerum, quae ſunt ab illuſtribus Arcadibus ſoluta oratione ſcriptae, ut in libro carminum Italorum Manfredii, qui Bononiae eſt editus an. MDCCLX. Cum in Patriam rediiſſet, rediit quoque ad ſua ſtudia Aſtronomica, a quibus divelli iniquo ferebat animo. Frequens etiam erat in Academia *Inſtituti*, de cujus gloria amplificanda dies ac noctes cogitabat. Relatum legimus in ejus commentariis, illum anno MDCCXIX. ad diem XVI. Kalen. Decembris expoſuiſſe varia Geographicarum tabularum menda a ſe multis eiſque conſentientibus obſervationibus comperta, atque correcta. Hac quoque in re alii Academici ſe exercuerunt, eam ſecuti rationem inveſtigandarum longitudinum locorum, quam ille in Academia primum, mox in Ephemeridibus explicavit. Quorum exemplum utinam alii imitarentur, quo fieret ut tabulae

geographicae a vitiis plurimum abeſſent, quoniam iis carere omnino non poſſunt. Idem triennio poſt de dimenſione a ſe facta Gnomonis Petroniani (6) multis differuit, eaque de re poſtea commentariolum confecit. Dudum enim ſuſpicabatur, vel potius intelligebat, aliquid detrimenti ex diuturnitate temporis illum accepiſſe. Itaque omnia ſummo ſtudio ac diligentia ſcrutatus ac demenſus, varietates, mutationeſque cognovit, eiſque ſua adhibuit remedia. Eo qui ſecutus eſt autumno, qui fuit annus MDCCXXIII. id accidit, quod erat maxime Aſtronomis optatum, conjunctio nempe Mercurii cum Sole. Nam cum hujus eventus habuiſſent illi hoc ſeculo exſpectationes duas, unam an. MDCCVII., alteram anno MDCCXX., hae deceptae fuerant. Res nova omnium ſtudium diligentiamque commovit, in quo in primis eluxiſſe ingenium induſtriamque Manfredii, ſcriptum a ſe anno ſequenti editum declarat. Atque haec prima fuit obſervatio, quam vix dum ejus aedificio abſoluto, habuit in ſpecula *Inſtituti*. Huic ſucceſſit illa (omitto minores; longum enim eſſet ſingula perſequi, & non neceſſa-

ria) de Jovis ac Martis conjunctione heliocentrica, in qua non mediocrem operam curamque conſumpſit, non ſolum ut Aſtronomiae indulgeret, ſed etiam ut de Phyſicis benemereretur. Nam cum apud hos multae res nequaquam ſatis adhuc explicatae ſint, tum perdifficilis & perobſcura quaeſtio eſt illa de Planetarum, ut eorum verbo utar, attractione; quae & ad cognitionem pulcherrima eſt, & ad plurima in natura explicanda phenomena expeditiſſima, ac pene neceſſaria. Nam qui Planetis hanc vim tribuunt, eandem, hypotheſim ſibi quandam componentes, tribuere ſolent rebus omnibus. Manfredius igitur certi ne aliquid hac de re haberi poſſet quaeſivit in Marte. Sed id habuit exitum omnino contrarium expectationi ſuae; doluitque nihil a ſe proferri potuiſſe, quod ad confirmandam illam Newtonianorum hypotheſim valeret (7). Nam licet nulli diſciplinae addictus eſſet, unum tamen praeter ceteros admirabatur, maximeque diligebat Newtonum, utpote quem in primis arbitrabatur vidiſſe verum, maximiſque erroribus hominum animos liberaviſſe. Ille autem hanc omnem quaeſtionem

Digitized by Google

explicavit epiſtola ad Jacobum Ricatum, in qua non modo quid a ſe, ſed etiam quid a ſingulis obſervatum eſſet, perſecutus eſt; idque ſic praeſtitit, quaſi ſuſpicionem movere, non tanquam adverſarium aliquem convincere vellet. Nihil optabilius ad immortalitatem nominis potuit Manfredio accidere, quam quod accidit an. MDCCXXVI., ut cooptaretur in Pariſienſem *Scientiarum* Academiam. Nam cum hic honos per ſe ſit glorioſus, cum nonniſi merito tribuatur, hoc etiam fit glorioſior in noſtris hominibus, ceteriſque alienigenis, quo rarior. Cautum eſt enim legibus, ne pluribus quam octo ex his aditus in eamdem pateat. Quo autem gratus pro tanto beneficio in Academiam cognoſceretur Manfredius, miſit ei bina commentariola, quorum unum, quod eſt de ratione deprehendendi Telluris figuram ab Lunae parallaxi (8), initium facit voluminis Actorum anni MDCCXXXIV., alterius, quod eſt de ratione definiendi ſolſtitia per inerrantes Stellas, fit mentio in commentariis rerum anni MDCCXXXVIII. Haud multo poſt Londinenſis quoque Academia, ne Pariſienſi in honorando tanto viro eſſet inferior, illum

ſuum

ſuum facere voluit. Quibus rebus cum ſatis famae ſuae conſultum eſſe jure ille exiſtimare poſſet, non propterea tamen aliquid remiſit de labore aſſiduo & quotidiano, quem in ſtudiis doctrinae ſolitus erat impendere. Quod cum ex aliis rebus, tum ex eo praeſertim libro habemus cognitum, quem *de Stellarum aberrationibus* (9) compoſuit, ac Cardinali de Via ſane meritiſſimo dicatum, an. MDCCXXIX. in lucem emiſit. Difficile eſt cognitu utrum Stellae habeant curſus quoſdam, abberrationeſque annuas; tale tamen eſt, ut bene ac ſapienter rei litterariae conſulant ii, qui in eo inveſtigando elaborant. Nihil eſt enim omnium, quae in Aſtronomia tractantur, quod majoris momenti a Copernicanis exiſtimetur, utpote ad ſolemne illud ſuadendum dogma de Terrae circa Solem motu accomodatiſſimum. Manfredius poſtquam omnia ſcrutatus eſſet, comodiſſimam viam ingreſſus eſt, ut eo, quo intenderat, perveniret. Nam omnem curam in illud contulit, ut has Stellarum aberrationes, harumque leges ex meridianis temporibus, ſi qua ratione poſſet, aſſequeretur. Quod quidem ei proſpere ſucceſſit, poſt mul-

tas, infinitaque diligentia habitas obſervationes in Arcturo, Syrio, Lyra, Capella, Tauri Oculo, aliiſque primariis Stellis. Per idem tempus vir in primis doctus Jacobus Bradleyus multum operae ac ſtudii ponebat, ut has ipſas aberrationes ex altitudinibus meridianis deprehenderet; ejuſque obſervationes cum haud multo poſt editum a Manfredio libellum, in Italia prodiiſſent, huic ſumma laus tributa eſt, quod in notatione intervallorum, converſionumque cum tanto viro conſenſerit. Non aeque tamen inter eoſdem convenit de eo quod pertinet ad Copernicanorum hypotheſim. Manfredius enim in hac erat ſententia, ut putaret aberrationes illas cum annua horum philoſophorum parallaxi, cujus leges eo in libello explanavit, nihil commune habere. Nam neque lucem tempore propagari affirmare ipſe audebat, neque ſi id affimaret, illud ſtatim videbat conſequi, ut Stellae, ſi Terra quidem circa Solem vertatur, non ibi ubi ſunt, appareant, ſed paullo ultra. Quorum primum neque Caſſinius, e cujus obſervatione illa de lucis curſu opinio manavit, affirmare voluit, neque Graveſandus, cum

maxime vellet, potuit. Bradleyus e contrario ſibi perſuadebat, notata a ſe optime ad ea, quae docent Copernicani, accomodari, ſi haec duo adjungantur, primum velocitatem lucis eam eſſe, ad quam velocitas convertentis ſe circa Solem Terrae non inſenſibilem habeat proportionem: deinde Stellas non ibi, ubi ſunt, ſed paullo ultra apparere, ſi oculus, cui apparent, ea velocitate moveatur, quae ad velocitatem lucis proportionem habeat ſenſibilem. Sic quod erat in hac re tota certiſſimum, id habuit Manfredius cum Bradleyo commune, hypotheſis fuit Bradley propria. Ille autem ſummam confecit cogitationum omnium ſuarum, rerumque a ſe, a Bradleyo, atque etiam ab Horrebovio inſigni Aſtronomo Dano obſervatarum, & dilucide eleganterque epiſtola Latina ad Antonium Leprottum amiciſſimum ſuum explicavit. Interim Pontifex creatur Clemens XII., qui cum magna animo volveret ad Reipublicae utilitatem, ſtatim vidit quanto ſibi uſui futura eſſet Manfredii opera. Primum & maximum mandatum fuit contorquendi in alium curſum Bedeſim & Vitim, de quo ſu-

pra commemoratum eſt. Immenſum ſane opus, quod octo pene annorum ſpatio duravit; quodque incredibiles labores, ac moleſtias eidem attulit (10). Idem Pontifex cum conſtituiſſet Tiberim navigabilem praebere Peruſia uſque ad Naris fauces, & Anienem a Ponte Lucano Romam uſque, huic operi Manfredium praefecit, eique ſocium Joannem Bottarium dedit. Sed hi, re explorata, eam eſſe magnitudinem difficultatemque Pontifici retulerunt, ut a ſuſcepto conſilio diſceſſerit. Poſt hoc juſſus eſt dare operam emendationi Kalendarii Gregoriani (11), quod ſaepe tentatum, nunquam tamen perfectum eſt. Profecto Manfredius, quantum in ſe fuit, ſuſcepto muneri ſatisfecit, neque modo ſuam protulit, ſed requiſivit etiam celebriorum totius Europae Aſtronomorum ſententiam ſcripto iis miſſo (12) quod illi placuit nominare: *Quaeſtiones de recta Paſchae indictione*. Secutum eſt illud mandatum de tuendo Pontificis jure in ea, quae huic cum Venetis erat, controverſia de Imperii finibus. Itaque hac de re librum edidit anno MDCCXXXV., quem inſcripſit = *Compendioſa informazione di fatto ſopra i confini della Comu-*

nità Ferrareſe d' Ariano collo Stato Veneto. = Hunc qui leget, ſtatim intelliget quam magni fuerit laboris tot colligere monumenta, quibus comprobaret, qui conſtituendi eſſent termini, ubi nulli jamdiu extabant, quique modus definiendus eſſet juribus Venetorum. Inter haec ſi quid in caelo apparebat obſervatione dignum, praeſto erat Manfredius, notabatque omnia ſuo more diligentiſſime. Elucubravit quoque opus *de Gnomone Meridiano Bononienſi*, in quo ſic omnia de ejus conſtructione, uſu, atque utilitatibus, deque rebus a ſe & ab aliis obſervatis, complexus eſt, ut nihil horum in eo clariſſime non appareat. Tali modo Euſtachius gratus judicari voluit erga illud Inſtrumentum, cui quidquid profecerat in Aſtronomia, referebat acceptum. Et ut officio benevolentiſſimi erga mortuum fungeretur, curam ſuſcepit diſponendi, edendique opus illud Franciſci Blanchinii, cui nomen eſt: *Aſtronomicae, ac Geographicae obſervationes ſelectae*. Quod ſi ſculptor praecipua laude fertur, qui comminutam ſtatuam, collectis undique fragmentis, ad vitam revocat, cur non ſingularis ejus exiſtimetur induſtria, qui ex chartae plagu-

Digitized by Google

lis, in quibus omnia erant inordinata & confuſa, multa imperfecta, ac vix adumbrata, librum omni ex parte abſolutum utiliſſimumque confecit? Qua ex cura ut ſe liberavit, animum convertit ad illuſtrandum aureum Guielminii opus *de Natura Fluminum*. Habet hoc partes duas, unam de alveis, quae propria eſt Gulielminii, cum genus hoc princeps attigerit, & in multis tenebris clariſſimum lumen praetulerit, alteram de aquis fluentibus, quae ei communis eſt cum aliis, quanquam hanc ille eo provexit, quo nunquam antea pervenerat. Ad hanc poſtremam convertit ſe potiſſimum Euſtachius, quia non tam accurate fundatam & extructam eſſe videbat, quam erat altera; multaque adeo protulit, ſuiſque locis diſpoſuit, quae uſu jam tractata, & animo notata habebat, ut difficile ſit intellectu, horum utri plus debeat utiliſſima haec aquarum fluentium ſcientia (13). Opus ad umbilicum perduxit Euſtachius, non tamen, morte obita, vulgatum videre potuit. Quam fortunam ſubiit quoque volumen, quod fecit *de Elementis rationis temporum* rogatu Franciſci Algarotti docti adoleſcentis, quem non ſecus

ac filium diligebat. In hoc Petavium ſecutus eſt non ut interpres aliquis, ſed quae ſumpſit ab eo, alia dilatavit, contraxit alia, eisque ſuum judicium, ſuumque ſcribendi ordinem adjunxit. His poſtremis temporibus alia quoque ſuſcepit utilia ſtudioſis. Contulit enim ſe ad eam curam, ut perficeret, quae olim ad uſum nobiliſſimi adoleſcentis Cajetani Boncompagnii ſcripſerat, *Elementa Geometriae*. In quibus cum illa praetermiſiſſet, quae ſolida attingunt, ad haec potiſſimum convertit animum. Haec eadem tamen nonniſi inchoata reliquit: quapropter ejus frater Heraclitus in hoc ſibi elaborandum putavit, ut illa abſolveret. Quod ſic praeſtitit, ut non ſatis utilitati ſtudioſorum conſuluerit, cui quidem conſuluiſſet, ſi magis clare res per ſe obſcuras tractaſſet. Eodem etiam tempore inſtituit Euſtachius meliorem in ordinem redigere, & pleniora efficere, quae diſcipulis ſuis conſueverat tradere praecepta Aſtronomiae. Sed haec quoque rudia reliquit. Quas igitur habemus *Inſtitutiones Aſtronomicas*, tales ſunt, quales ille initio compoſuit, in quibus tamen nulla pars, quae ad caeleſtia pertinet,

praetermiſſa eſt, nec modo quid ſibi probaretur, ſed etiam quid a ſingulis philoſophiae diſciplinis, & alicujus nominis Aſtronomis diceretur, perſecutus eſt; ſicque omnia tradidit de ratione ineundarum obſervationum, ac calculorum, ut quid ille ultra praeſtare potuerit, non videam. Neque ſilentio praetereunda eſt hiſtoria, quam confecit, controverſiae de Telluris figura, rerumque a Gallis recens animadverſarum (14). Legitur haec in quarto volumine *delle Oſſervazioni Letterarie* Scipionis Maffei, cui flagitanti illam conceſſit, ea tamen lege, ne nomen Auctoris proderet. Id cauſſae fuiſſe creditur, quia in eo haerebat, quod extrema parte ſine ulla tamen affirmatione poſuit, varietas ne graduum, quos Caſſinius, & Maupertuiſius dimenſi fuerant, alter in meridiana linea, quae Pariſios ſecat, alter in Lapponia ultra polarem circulum, ex qua varietate conſtitui poſſe videbatur terram compreſſam eſſe, referri ad illud deberet, quod varie & inequaliter curvati eſſent meridiani terreſtres? Non dubito fore pleroſque, quibus incredibile videri debeat, potuiſſe Manfredium novem poſtremis, quibus vixit annis

ad tam multa incumbere tamque multa ſcribere, praeſertim cum relatum legent, hoc tempore infirma ſemper, ac ſaepe etiam aegra illum valetudine fuiſſe. Caepit enim ex renibus laborare, mox in difficultatem urinae delapſus eſt, demum lapis in veſica concrevit, qui plerumque ſecundo quoque menſe tetros ei cruciatus ciebat. Sed hi vix dum remiſerant, cum ille aut novum quoddam ſuſcipiebat, aut interrupta contexebat, aut abſolvebat inſtituta; idque tanto animi ardore praeſtabat, ut quo tempore otioſam aetatem & quietam ſine ullo labore ac contentione traducere debuiſſet, non ſolum oblectamentum, ſed etiam medicinam petere ab induſtria videretur. In hoc cum eſſet ſtatu, non dubitavit Ravennam venire cauſſa mandati, de quo ſupra commemoratum eſt; cumque pedibus parum valeret, nec vehi in rheda ſine maximo incommodo poſſet, ſella deferebatur ad loca, quae inviſenda erant, atque ita de ea, quae videbantur, dicebat. Ut lapidem ſe in veſica habere ſenſit, illum extrahi optaſſet, ſed cum Medici, & in his Heraclitus frater obſtitiſſent, illorum paruit conſiliis. Fecit ta-

men invitus. Nam videbat, ſine ſpe ſalutis quod reliquum vitae foret, ſibi miſerrime degendum eſſe. Neque id eum ſefellit. Nam dolores non ſolum multo crebriores facti ſunt, ſed etiam in dies graviores; eoque demum pervenerunt, ut ei e vita exeundi neceſſitatem attulerint. Non eſt credibile, quanta animi fortitudine hanc calamitatem pertulerit, quantaque conſtantia mortis aſpectum ſuſtinuerit, ut non ex vita, ſed ex domo in domum videretur migrare. Id erit indicio, quod duobus diebus antequam moreretur, cum meminiſſet habere ſe aliqua, quae reſcriberet Cardinali Alberonio Aemiliae Legato de fluminibus Ravennatium, Thereſiam Sororum natu minorem accerſivit, eique epiſtolam dictare caepit. Non potuit tamen ad exitum perducere, cum a mente, tanquam ſi offuſa ei caligo eſſet, deſereretur. Quoniam iterum in mentionem Sororum incidimus, non eſt praetereundum, illas magno non ſolum Euſtachio levamini in aegritudine, ſed adjumento quoque fuiſſe in omnibus iis rebus, quas ſcripſit his poſtremis annis. Profecto adeo de ſe bene meritis gratum ſemper ſe praebuit,

& extremae quoque voces habuerunt declarationem ſingularis amoris ſui erga illas. Mortuus eſt Euſtachius, omnibus, quae ad Religionem pertinent, rite ſanCteque perſolutis (nam non minus pium quam fortem ſe praebuit, niſi malumus in homine Chriſtiano tantam fortitudinem conſtantiamque pietatem quoque dicere) XV. Kal. Martias, die Dominico, hora XVII. anno MDCCXXXIX. Suo ille diſceſſu reliquit ſuos omnes moeroris ac luctus pleniſſimos, & univerſam quoque Civitatem dolore magno affectam. Sed praeſertim doluit Academia, quae cum fuiſſet quaſi theatrum illius ingenii, ſe ejuſdem honore ac gloria ornatam, atque amplificatam putabat. Jamdiu tamen ejus voce erudita, & Sapientiae auribus digna carebat. Nam poſt ſermonem, quem de aucta maris altitudine habuit anno MDCCXXXI., nihil amplius in illa pronuntiavit; & ſi quid aliud poſtea elaboravit, Euſtachio Zanotto, qui ſibi publice in munere Aſtronomi *Inſtituti Scientiarum* adjutor datus fuerat, recitandum commiſit. Cadaver delatum eſt ad S. Mariae Magdalenae, comitantibus Senatoribus *Inſtituti* Praefectis, publicis

in eodem *Inſtituto* Magiſtris, omnique ſtudioſa juventute, nec non magna vulgi frequentia. Haud mediocre quoque funeri decus fuit, quod Cardinalis Proſper Lambertinius tum Archiepiſcopus Bononienſis, qui eximie ſemper Euſtachium dilexit pro ſua ſingulari voluntate in viros praeſtantes virtutis, & doctrinae gloria, in idem Templum ſe contulit ad ſacrum pro illo faciendum. Nec non carminibus, ſolutaque oratione ejuſdem memoria celebrata. Debebantur profecto hi honores divinis prope meritis Euſtachii; & hoc magni intererat ad decus & laudem illius Civitatis, quae ſemper eſt habita doctrinae parens & altrix. Eodem in loco humatus eſt, atque haec in ſepulchro inciſa inſcriptio:

EUSTACHIO MANFREDIO BONONIEN.
J. V. D.
IN COLLEG. PHILOSOPHOR.
OB MERIT. ADSCITO
MATHEMATICAR. PROF. PUB.
INST. SCIENTIARUM ASTRONOMO
REI AQUARIE PERTRACTAN. PRAEF.
REG. PARISIEN. ACADEM. ITEMQ.
LONDIN. SOCIO
VIRO SUAVISSIMIS MORIB.
GABRIEL ET HERACLITUS
FRATRI OPTIME MER. P. P.
VIX. AN. LXIV. M. IIII. D. XXV.
OBIIT XV. KAL. MART. MDCCXXXIX.

Statura fuit mediocri, habitu ad pinguedinem vergente, capite magno, rubro colore, vultu decoro & hilari, acribus oculis, oblongo & incurvo naſo, quam vel in primis certam ingenii notam Metopoſcopi exiſtimant. Profecto Euſtachius ea erat ſpecie, in qua praeſtans ingenium apparebat; cumque non minus eluceret in ea ſumma comitas, fiebat, ut ipſo aſpectu conciliaret ſibi obſervantiam benevo-

lentiamque hominum. Comitati vultus reſpondebat affabilitas ſermonis, ac demum iis erat moribus, ut nemo illo commodior, nemo jucundior, ac moderatior fuerit ad omnem rationem humanitatis. Itaque cum multi alienigenarum ad eum ſaepe venirent, moti praeclara fama, quae de illo erat, nemo diſcedebat, qui ſe mire ipſius officiis devinctum non confiteretur. Ad omnia ea quae more aguntur, & civilis vitae inſtitutis, licet pleraque ſibi moleſta eſſent, & incommoda vitae ſolitus eſſet appellare, attentum animum ſemper habuit, eaque religioſe ſervavit. Ut erat quietis & tranquillitatis amantiſſimus, ab omni contentione concertationeque maxime alienus fuit; & ſi quem offendiſſet, qui ſuo delectaretur errore, non contra pugnare, ſed libenti animo cedere ſolebat. Licet perquam moleſtos experiretur, ita patienter tamen ferebat, ut probare videretur, homines illos, qui in colloquiis, tanquam in poſſeſſionem ſuam venerint, excludunt alios, non intelligentes, cum in reliquis rebus, tum in ſermone viciſſitudine utendum eſſe. Nihil unquam neque inſolens neque glorioſum ex ore ejus

exiit; tantumque aberat, ut ipſe ſua extolleret, ut potius ea ſemper verbis extenuaret. E contrario nunquam committebat, ut non liberalis videri poſſet in tribuenda merita hominibus laude. Cum ſuis ita vixit, ut nulla querimonia interceſſerit, & amor ad extremam uſque aetatem creverit. Neminem unquam laeſit, ac nulli amicorum opera, conſilio, ac labore defuit. Si quid acceperat, majori menſura reddere curabat, imitans, ut jubet Cicero, agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Nihil magis optabat quam ad hominum utilitatem intelligentiam ſuam conferre, quo factum eſt, ut non ſolum vivus ac praeſens ſtudioſos diſcendi libentiſſime humaniſſimeque erudierit, ſed hoc etiam poſt mortem monumentis litterarum aſſequi ſtuduerit. Inter multos, quos habuit auditores, tulit praeſertim in oculis Franciſcum Mariam Zanottum, hujuſque fratris filium Euſtachium, & Franciſcum Algarottum. Quam in ſe tanta animi conſtantia tulit adverſam fortunam, ſic in aliis dolebat, ut nihil ſupra. Hoc quoque erit ejus humanitatis teſtimonium, quod cum cooptatus eſſet in coetum

illorum, qui extremis vitae oris morte damnatis adſunt, quoties chriſtiano hoc officio fungi debebat, adeo commovebatur, ut illud deſerere coactus fuerit. Simplex & apertus veritatem unice ſemper coluit. Toto vitae curſu religionem, pietatem, ſanctitatem pure & caſte Deo tribuit. Summa quoque in Patriam caritas eluxit in illo, eamque ſemper propriae utilitati antetulit. Nam invitatus, ingenti propoſita mercede, a Lucenſibus primum, mox a Caeſare, ut munus apud illos Aquarum Praefecti, apud hunc Mathematici ſuſtineret, honore contentus illud ſuſcipere recuſavit. Nemo illo in contrahendo religioſior; & ſi cuipiam debebat, & dubium eſſet quantum, quod nimium potius, quam id quod parum videbatur, exſolvere plane volebat. Convivia in adoleſcentia praeſertim plurimum amavit, horumque delectationes non tam guſtus voluptate, quam coetu amicorum, ſermonibuſque metiebatur; cumque ad ejus rem familiarem non mediocris facta eſſet acceſſio, neque illi deeſſet, unde largiorem ſumptum facere poſſet, ſaepe ad prandium eos vocabat, quorum mores a ſuis
non

non abhorrerent. Tum praeſertim apparebat, quanta eſſet in homine jucunditas, quantumque excelleret in genere illo jocandi eleganti, urbano, ingenioſo, ac libero digno, quo etiam plurimas ejus familiares epiſtolas refertas vidimus. Dici ſatis non poteſt, quam acute atque celeriter videret, quid in re quaque veriſſimum eſſet, quamque teretes religioſaſque aures habuerit. Quo factum eſt, ut plurimi rerum ſuarum cenſorem illum habere voluerint. Narrat Scipio Maffaejus, admiratum ſe fuiſſe ſemper tantam intelligentiae magnitudinem, ſed maxime in eo quod pertinet ad Tragaediam, eaque propter ſaepe ad illam ſcribendam eumdem invitaſſe. Nihil tamen Euſtachius in hoc genere reliquit, niſi huc referre velimus ſane dulciſſimum melodramma, cui nomen eſt Daphnis, quod ſibi adoleſcenti, & invito excidit. De ſtyli autem ejus elegantia quid dicam? Sive carmina exaravit, ſive litteras ſcripſit, ſive ſe exercuit in dicendi genere aequabili & temperato, ſive oratorium tractavit (tractavit autem non ſemel magna non ſolum elegantis, ſed etiam pleni ac perfecti Oratoris commen-

Digitized by Google

datione, ut indicat oratio, quae eſt in manibus, de S. Petronii laudibus) ſic apta & decora, pura ac plane Etruſca ejus dictio fuit, ut non multos habeamus hujus noſtrae aetatis ſcriptores, quos cum illo conferre poſſimus. Haec quidem laus comprobata eſt Joannis Bottarii praeſtantiſſimi dicendi exiſtimatoris judicio, cum mihi ſermo cum illo ipſo, multis audientibus, de Manfredio eſſet inſtitutus. Hinc factum eſt, ut jam ab adoleſcentia referretur inter eos, qui celeberrimam toto orbe Academiam, quam vulgo vocant *della Cruſca*, magno Italicarum litterarum bono conſtituunt. In iis vero quae latine ſcripſit, non aeque tulit omne punctum, quod homini plurimis iiſque reconditis litteris praeſtanti culpae minime tribuendum eſt, cum etiam in re una excellere permagnum ſit.

Commentariolum hoc de vita Euſtachii Manfredii, priuſquam ederetur, ceteros inter vidit vir doctrina clarus, mihique amiciſſimus Franciſcus Jacquierius ex Minimorum familia. Is adnotavit nonnulla, quibus hic locum dandum duximus, ne magno liber ornamento careat.

(1) Aſtrologiae nomine intelligenda non eſt ſuperſtitioſa & vaniſſima divinatio illa, quae morales eventus ex corporum caeleſtium influxu conjectari praeſumit. Nullus unquam extitit vir bene doctus, qui ſeriam talibus commentis operam dederit; aut ſi quis unquam fuerit male comparata doctrinae fama celebris qui his paſtus chymeris referatur, id craſſiori temporum vel regionum ignorantiae tribuendum. Itaque cum Manfredius noſter Geometriam, nonnullaſque alias matheſeos partes, vi ſola ingenii, nulla magiſtrorum opera celerrime jam arripuiſſet, nullam de hujus ſtudii vanitate dubitationem in juvenili quidem, ſed matura jam & cultiori mente dubitationem ſuſpicari licet. At alia eſt aſtrologiae ſpecies, quae in effectibus naturalibus, tempeſtatumque viciſſitudinibus ex vario planetarum aſpectu inveſtigandis atque praedicendis verſatur. Hujus aſtrologiae certitudinem tentare, & ex principiis cognoſcere voluit Manfredius, ſummos viros Keplerum, Boylium, alioſque complures imitatus. Quamvis autem tales conjecturas velut inaniſſimas traducere atque aſpernari non dubitent quamplurimi, non deſunt tamen etiam num ſtudioſiſſimi naturae indagatores, qui adeptum planetis imperium in aliquos naturales

Digitized by Google

effectus reſtituendum arbitrantur. Haec pro defenſione dicta ſint. Ego ipſe audivi a Gabriele Manfredio, demandatam ſibi & Euſtachio fratri provinciam publica quotannis evulgandi Diaria, in quibus caeli temperies, mutationeſque conſignari ſolent. Has quoque praedictiones omnino praetermittendas non eſſe ipſi cenſuerunt, non quidem ut fidem facerent, ſed ut credulo popello, qui his rebus delectatur, morem gererent.

(2) Cycloidis proprietates ad horologiorum uſum traducere conatus eſt vir clar. Huighenius, & penduli vibrationes intra binos cycloidis arcus retinendas eſſe decreverat. Summo Geometrarum omnium plauſu excepta primum fuit haec horologiorum ſtructura, & tali inſtrumento, quod valde mirabantur omnes, aſtronomicam ſupellectilem ſuam inſtruxit Euſtachius. Verum, ut erat in obſervando ſagaciſſimus atque diligentiſſimus, decantatae hujus machinae vitia brevi expertus eſt, atque obſervationum Aſtronomicarum fide comprobavit. Hac de cauſſa relicto recentiore invento, ad antiquam horologiorum formam reverſus eſt. Et re quidem ipſa, ex ſola gravitatis conſtantis actione pendebat horologii Huigheniani artificium: quia vero in horologiorum uſu admixtae ſunt vires aliae motrices plurimae, nullam eſſe hac in re cycloidis utilitatem, immo incommoda eſſe plurima ſerius deinde demonſtrarunt Geometrae.

(3) Neque Euſtachii gloriae & famae aliquid inde detrahi poteſt, quod videamus ſucceſſu aliquando caruiſſe ejus conſilia. Saepe etenim contigit, ut judex appellatus fuerit Manfredius, contraria autem aliorum judicia, neſcio quibus de cauſſis, praevaluerint. Ceterum in ferendo judicio quantum cautus fuerit vir aeque doctus ac prudens, hinc licet cognoſcere, quod de reſtituendo Antiano portu in conſi-

ſium adhibitus, nihil proferre auſus fuerit, ſeſe accuſans locorum, ventorum, & maris non ſatis expertum, praeclarum relinquens modeſtiae exemplum viris audacioribus, qui propriam vel ignorantes vel diſsimulantes imperitiam, in difficillimis rebus publicam pecuniam, non ſine magno periculo, profundere non dubitant. Amoris erga Patriam non minus quam prudentiae teſtimonium dedit Manfredius in eo congreſſu, qui Faventiae habitus eſt, ubi Corradum ita valide impugnavit, ut propoſitum de aquis per novum alveum ſuperiorem deducendis conſilium everterit omnino. Non tanti tamen ponderis reputari debent Euſtachii rationes, ut alium quemlibet alveum ſuperiorem excludendum eſſe perſuadeant, his praeſertim temporibus, quibus & magna ſuppetit obſervationum Hydraulicarum copia, & diligentior locorum peritia.

(4) Nec ſine magna in rebus phyſicis utilitate hanc ſubtiliſſimam obſervationem e manibus dimiſit Manfredius: nondum enim omnino veterem opinionem deleverat dies, cometas ſcilicet ad corporum ſublunarium claſſem eſſe rejiciendos. Philoſophicum hoc commentum ſuſtulit Euſtachius, nullam, aut fere nullam in cometa parallaxim oſtendens. Multi quidem cometae inſignem habuere parallaxim, ipſam Solis parallaxim longe excedentes. Inita computatione, demonſtravit Hallejus Cometam qui anno 1680. viſus eſt, Borealem terreſtris orbitae partem praetergreſſum eſſe ad diſtantiam ſemidiametrorum terreſtrium ſexaginta, ita ut illius parallaxis haud minor fuiſſet parallaxi lunari, ſi tellurem in hac eadem orbitae parte locatam fingere liceret. Sed haec & alia, quae objici ſolebant, ſua obſervatione facile diluebat Euſtachius.

(5) Suſceptam defenſionem tueri & confirmare potuiſſet

Manfredius, depromptis ex ipſo ſermone Gallico ſimillimis exemplis. Neque enim translata haec dicendi forma a Gallici idiomatis ſimplicitate aliena eſt; multaſque id genus exquiſitas dictiones legere eſt non ſolum apud Poetas, ſed elegantiores quoque Oratores.

(6) Euſtachio multum ſane debet aſtronomia, quod aſtronomicum illud inſtrumentum, non ſine magno labore, parique diligentia, ad examen revocaverit. Haud temere affirmari poteſt nullibi gentium extare Gnomonem, qui & longiori & accuratiori obſervationum ſerie magis commendari debeat. Ego ipſe audivi a Manfredio ſe in Gnomone Bononienſi majorem quam in Romano obſervationum ſubtilitatem, facta comparatione, inveniſſe, quamvis tamen huic poſteriori, Romano nempe meritam quoque concederet laudem.

(7) Neque Manfredio minus glorioſum cenſeri debet, quod ex illa Jovis & Martis conjunctione heliocentrica nihil extundere potuerit, quod Newtonianam de mutua planetarum attractione hypotheſim confirmaret. Longiorem enim obſervationum ſeriem poſtulabat ſubtiliſſima haec concluſio, quam quidem jam oſtendunt Jovis praeſertim & Saturni conjunctiones, atque magno obſervationum numero magis ac magis, ut ſperare fas eſt, comprobandam. Ceterum maxime laudari debet Euſtachii in rebus philoſophicis difficile & acutum judicium, quo factum eſt ut in ſententiam, quae ſibi videbatur adhuc immatura, magnorum virorum auctoritate ſeſe adduci paſſus non fuerit.

(8) Ingenioſe quidem excogitata eſt haec methodus: Cum enim pro ſphaerica vel ſphaeroidica telluris figura diverſae parallaxes obſervari debeant, ex ipſa parallaxium differentia inveſtigari poteſt telluris figura. At cum parallaxium differentia pro diverſa telluris ſphaericae aut ſphaeroidicae hypo-

theſi exigua omnino ſit, ita ut ſi aliquot ſcrupulis dumtaxat in obſervando peccatum ſit, nihil ex obſervatione pro determinanda telluris figura erui poſſit, maximam induſtriam atque obſervationum ſubtilitatem requirit propoſita methodus, quam tamen elegantiſſimam eſſe, & doctrina aſtronomica refertam nemo negaverit, atque eo magis commendatione dignam, quod eo evulgata ſit tempore, quo pauciores de hoc argumento diſſertationes jam habebantur.

(9) De Stellarum aberrationibus & parallaxi, mole quidem exiguum opuſculum, ſed magna rerum aſtronomicarum & geometricarum copia plenum conſcripſit Manfredius. Viri Geometrae ſummam qua auctor pollebat in ſolvendis conſtruendiſque problematis elegantiam, & quae in hoc libello maxime eminet, magnopere commendant.

(10) In hac hydraulica expeditione quantas paſſus ſit moleſtias, quam multa Euſtachius ſuſtinuerit incommoda, ego conſcius ſum. Quae de fluminibus divertendis idem praeſcripſerat executioni adamuſſim mandata non fuerunt omnia, & hac de re cum Euſtachio ipſo ſermonem ego habui. Quare ſi quid vitii habere poſſit haec operatio, id Manfredio noſtro tribuendum non eſt.

(11) Neque glorioſi, ſed grati animi loco haberi debet quod mihi cum Manfredio, data Kalendarii occaſione, contigiſſe referam. Romam acceſſerat vir quidam natione Gallus, qui novam longeque accuratiorem Kalendarii formam ſe habere praedicabat, jamque apud multos Urbis Magnates aliquam ſibi arripuerat doctrinae famam. Propoſitae correctionis examinandae demandato mihi onere, quod quidem detrectare optabam cum pro mea juvenili adhuc aetate, tum pro meo ab altercationibus litterariis alieniſſimo animo, haud difficile mihi fuit Auctoris inſcitiam, moderatis tamen, ut

decebat, verbis demonſtrare. Sed praevaluit ſumma Reformatoris confidentia, donec Romam accerſitus Manfredius ob graviora aquarum negotia, in hac quoque levioris momenti lite judex vocatus, quae brevius dixeram prolixiori ſcripto confirmaret, & honorificam de meis ſtudiis opinionem, pro ſua humanitate, relinqueret.

(12) Ad manus meas pervenit commercium epiſtolicum, quod Manfredius & Blanchinius cum celeberrimis Aſtronomis habuere. Quamvis autem reformationis negotium ſucceſſu caruerit, neque fortaſſe ulla, quae neceſſaria ſit, correctione indigeat Kalendarium, negari tamen non poteſt in his litteris contineri plurima, quae ſi typis ederentur, viris Aſtrnomiae ſtudioſis placere, eoſque a correctionis propoſito removere poſſent.

(13) Eximium hoc Gulielminii opus non ſolum praeclaris illuſtravit commentariis, ſed nonnulla quae ad Phyſicam, & Geometriam pertinent problemata adjunxit, ita ut in his adnotationibus ſummam doctrinam cum pari experientia conjunctam repetire ſit.

(14) Hanc conjecturam de irregulari graduum terreſtrium curvatura propoſuerunt poſtea alii viri docti. Neque dubitationem hanc omnino tollunt obſervationes de telluris figura recens habitae. Propoſitas difficultates ſtatim improbarunt aliqui, ſed moroſe & paullo faſtidioſius. Neque enim magnorum virorum dubia aſpernari licet, ſed ea venerari, & tamen examini ſubjicere oportet.

OPERA EDITA.

Obſervationes Aſtronomicae ab Euſtachio, Fratribus Manfrediis, & Stancario Bononiae habitae ante annum 1703. leguntur in libro, qui inſcribitur: *Victorii Stancarii Philoſophiae Doctoris Bononienſis, & in Patrio Archigymnaſio Analiticae Lectoris Schedae Mathematicae poſt ejus obitum collectae, ejuſdem obſervationes Aſtronomicae. Bononiae* 1713. *typis Jo. Petri Barbiroli in* 4. Collegit has Stancarii Schedas Euſtachius, ejuſdemque Auctoris vitam accuratiſſime explicavit.

Deſcrizione d' alcune macchie ſcoperte nel Sole l' anno 1703., *e particolarmente di quella, che ſi è veduta ſul fin di Maggio, tratta dalle oſſervazioni fatte a Bologna nell' Oſſervatorio dell' Illuſtriſs. ed Eccellentiſs. Sig. Co. Luigi Ferdinando Marſigli, e ſteſa da Euſtachio Manfredi. In Bologna per Ferdinando Piſarri. in* 8.

Epiſtola ad virum clariſſimum Dominicum Quartaronium, qua Anonymi aſſertiones XVI. pro reformatione Kalendarii ab illo impugnatae vindicantur. Venetiis apud Anton. Bartolum 1705. *in fol.*

Lettera del Sig. Dottor Euſtachio Manfredi Lettor di Matematiche nell' Univerſità di Bologna, ed Accademico della Cruſca, Arcade, Gelato, Diſſonante al Sig. Marcheſe Giovan Gioſeffo Orſi. Scritta in Bologna il dì 1. *Settembre* 1706.

Vita di Marcello Malpighi. Locus ei datus eſt in primo volumine *delle vite degli Arcadi illuſtri*.

Scelta di Sonetti e Canzoni de' più eccellenti Rimatori d' ogni Secolo. In Bologna per Coſtantino Piſarri vol. 4. *in* 8. Pars prima hujus collectionis prodiit in lucem anno

1709., tres vero reliquae prodiere diverſis aliis temporibus.

Euſtachii Manfredii Ephemerides motuum caeleſtium ex anno 1715. in annum 1725. e Caſſinianis tabulis ad Meridianum Bononiae ſupputatae ad uſum Bononienſis Scientiarum Inſtituti. Tom. II. Bonon. typis Conſtantini Piſarri 1715. in 4.

Noviſſimae Ephemerides motuum caeleſtium e Caſſinianis tabulis ad Meridianum Bononiae computatae ex anno 1726. ad 1750., auctoribus Euſtachio Manfredio, & Sociis, ad uſum Inſtituti. Tom. II. Bonon. apud Conſtantinum Piſarrum 1725. in 4. In Praefatione Socios nominat, nempe Jacobum Parmam, Joſephum Bolſium Marcheſium, Joannem Baptiſtam Banderium, Dominicum Weber, Carolum Hebertum Monachum Hieronymianum, & Joſephum Antonium Nadium.

Seritture diverſe in materia d' Acque. Multa quidem extant ſcripta Manfredii ad rem aquariam pertinentia, quorum nonnulla ſunt inedita, edita vero magna ex parte; atque ex his poſtremis quaedam ſingillatim volitant per manus hominum, & quaedam conjunctim complectitur Collectio illa Florentina, quae ſic inſcribitur: *Raccolta di Autori, che trattano del Moto dell' Acque diviſa in tre tomi. Firenze 1723. nella Stamperia Granducale in 4.* Juvat ſingula recenſere Manfredii opuſcula, quae relata ſunt in tertium volumen hujus Collectionis.

----- *Parere intorno alla Peſceja da fabbricarſi nel fiume Era.*

----- *Riſpoſte alle ragioni de' Sigg. Ceva, e Moſcatelli.*

----- *Replica de' Bologneſi ad alcune Conſiderazioni de' Ferrareſi.*

----- *Compendio ed Eſame del libro pubblicato in Mode-*

na col titolo = Effetti dannoſi che produrrà il Reno ſe ſia meſſo in Po di Lombardia =

----- *Breve Confutazione d'altra Scrittura pubblicata in Modena.*

----- *Memoria, che contiene le ragioni per l'unione dell' acque del Reno di Bologna col Fiume Po.* Hoc opuſculum Gallice ſcripſit Euſtachius, ut doceret Pariſienſem Scientiarum Academiam, quae eſſent argumenta, quae quod ipſe intendebat, probarent. Italice vero reddidit vir immortalis Guido Grandius, ac notis ſane doctis illuſtravit.

Congreſſus Mercurii ac Solis in Aſtronomica Specula Bononienſis Scientiarum Inſtituti obſervatus die 9 Novemb. 1723. auctore Euſtachio Manfredio ejuſdem Inſtituti Aſtronomo & Acad. ſocio. Bononiae apud Conſtantinum Piſarrum 1724. in 4. Scriptores Actorum erud. Lipſien. ajunt hanc Diſſertationem *rerum maximi ad Aſtronomiam momenti pleniſſimam eſſe*. In haec ipſa Acta refertur.

Obſervatio conjunctionis Veneris & Reguli die 3. Julii 1724.

----- *Eclipſeos Lunaris Romae habita Kal. Decembris an. 1732. in aedibus Card. de Via.*

----- *& Congreſſus Mercurii cum Sole in Aſtronomica Specula Bon. Scient. Inſtit. habita 11. Novemb. 1736.* Haec obſervatio edita quoque fuit Bononiae typis Laelii a Vulpe. in 4.

De annuis inerrantium Stellarum Aberrationibus. Bononiae typis Conſtantini Piſarri 1729. in 4.

Methode de verifier la figure de la Terre par les Parallaxes de la Lune. Legitur in libro cui titulus: *Hiſtoire de l'Academie Royal des Sciences année* MDCCXXXIV. Haec ipſa Hiſtoria, quae eſt de rebus anni MDCCXXXIX, habet Ele-

Digitized by Google

gium Manfredii a Fontanellio elegantiſſime ſcriptum. Multis vero in locis honorificentiſſime eumdem Manfredium appellat.

Compendioſa Informazione di fatto ſopra i Confini della Comunità Ferrareſe d'Ariano con lo Stato Veneto 1735. *in* 8.

De Gnomone Meridiano Bononienſi ad Divi Petronii, deque obſervationibus Aſtronomicis eo inſtrumento ab ejus conſtructione ad hoc tempus peractis. Bononiae ex Typographia Laelii a Vulpe 1736. *in* 4. De eodem Gnomone aliquot annos ante commentariolum confecerat Euſtachius, quod relatum eſt in tom. 1. Act. Acad. Bononienſ. Inſt. Scient. cum hoc titulo

De noviſſima Meridianae Lineae, quae in Divi Petronii extat, dimenſione, deque exiguis Ggnomonum motionibus praecavendis. Extant quoqne in iiſdem Actis haec Manfredii opuſcula.

Tom. I. *Epiſtola de noviſſimis circa fixorum ſiderum errores obſervationibus ad Illuſtriſſimum & Reverendiſ. Antonium Leprottum Archiatrum Pontificium.*

Tom. II. p. II. *De aucta maris altitudine.*

Parte vero III. *De Mercurii ac Solis congreſſu obſervatio die* 9. *Novembris* 1723. De hac obſervatione ſupra commemoratum eſt.

----- *De Jovis & Martis conjunctione heliocentrica obſervata anno* 1727.

----- *De Congreſſu Mercurii cum Sole obſervato die* 11. *Novemb.* 1736. *mane*, cujus etiam ſupra mentionem fecimus.

----- *De Cometa anni* 1737., &

----- *De Solſtitiorum tempore definiendo.*

Aſtronomicae ac Geographicae obſervationes ſelectae. Opus hoc Franciſci Blanchinii Manfredius rogatu Capituli Vero-

nenſis ordinandum edemdumque ſuſcepit. Editum vero Veronae eſt anno 1737. in fol., nec dubitavimus illud inter opera Manfredii recenſere, quoniam ipſe in hoc multa addidit; atque attulit de ſuo.

Della natura de' Fiumi Trattato Fiſico-Matematico del Dott. Domenico Guglielmini con le note di Euſtachio Manfredi all' Eminentiſs. Cardinal Corſini: in Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1739. in 4.

Iſtoria della controverſia ſulla figura della Terra, con la notizia della ralazione ultimamente fatta da quegli Accademici delle Scienze, che ſono perciò ſtati ſpediti nella Lapponia. Edita eſt in 4. volum. *delle Oſſervazioni Letterarie del Marcheſe Maffei*, quo in loco reperitur quoque commentariolum de vita Euſtachii a Franciſco Maria Zanotto Italice ſcriptum, ſuoque more elegantiſſime.

Elementi della cronologia con diverſe ſcritture appartenenti al Calendario Romano: opera Poſtuma: in Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1744. in 4 Scripta quae ad Kalendarium Romanum pertinent, ſunt.

----- *Quaeſtiones de recta Paſchae indictione.*

----- *Della maniera più propria di uniformare le lunazioni Eccleſiaſtiche alle Aſtronomiche.*

----- *Epiſtola ad Quartaronum*, de qua ſupra commemoratum eſt; &

----- *Parere ſopra l'opera Paſquale del Signor Ab. Jacobo Betazzi da Prato ſtampata in Firenze.*

Inſtituzioni aſtronomiche. Opera Poſtuma. In Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1749. in 4.

Elementi della Geometria Piana e Solida e della Trigonometria: Opera Poſtuma. In Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1755. in 4.

Rime di Euſtachio Manfredi con un riſtretto della ſua vita, e con alcune ſue Proſe, ed alcuni lugubri componimenti, recitati in occaſione della ſua morte, in Bologna nella Stamperia di Lelio della Volpe 1760. *in* 8. Tertia haec eſt editio Carminum Italorum Manfredii. Ideo vero hanc recenſuimus, quia aucta eſt Oratione de laudibus S. Petronii, quam Euſtachius habuit anno 1713. in Academia, quam vulgo vocant *de' Difettoſi*, & fabella de vidua Epheſina ab eodem in coetu Arcadum dicta an. 1718.

Lettere familiari: habentur in primo volumine illius Collectionis, quae inſcribitur: *Delle lettere familiari d'alcuni Bologneſi del noſtro ſecolo volum.* 2., quaeque Bononiae primum, mox Venetiis impreſſa eſt in 8.

Digitized by Google

EUSTACHIO ZANOTTO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

NIhil eſt, mi amiciſſime Zanotte, quod a te magis velim, quam ut commentariolum de vita Gabrielis Manfredii hortatu tuo a me confectum corrigas, hoc eſt & demendo, & addendo totum aliud facias. In te mihi omnis ſpes eſt. Tu enim pro tua ſingulari ſcientia in mathematicis facultatibus vides quae immortalis ille vir & tractaverit, & ſcripſerit ad illas ipſas facultates illuſtrandas, atque amplificandas, quaeque hic referre, ſuoque in lumine collocare oporteat; & pro ſumma familiaritate, quae tibi cum tota Manfrediorum domo interceſſit, nihil ignoras, quod ad illam quoquo modo pertineat. Omnes quidem admirabantur te adoleſcentulum libenter concedere aequalibus tuis ludos, oblectamenta, vacationeſque ſtudiorum, ut tibi liceret eſſe cum Manfrediis fratribus, quorum uſu fieres quotidie doctior. His omnia officia tua praeſtabas, ab horum nutu, atque conſilio pendebas, horum exempla domeſticis adjungebas, quae tibi imitanda proponeres; cumque illos tibi mors

eripuerit, gravius & diutius luxiſti quam ullus filius parentes cariſſimos. Haec quidem ſatis declarant inſignem pietatem tuam. Quem vero fructum ex eorum diſciplina perceperis ex eo facile intelligi poteſt, quod Euſtachio ſucceſſeris in munere aſtronomi Inſtituti Scientiarum, *quodque nemo unquam dubitaverit, quin meritiſſimo ſucceſſeris. Vivunt adhuc teſtes, qui ſummum illum virum audierunt interruptis, ac morientibus vocibus hos tibi ſenſus declarare; plurimum ſe tibi debere, quod aetas ſua igraveſcens in benevolentia, atque in adoleſcentia conquieviſſet tua; & hoc etiam nomine ſe minus dolere mortem, quod poſtquam pluribus annis te adjutorem habuiſſet in aſtronomi munere, liberum tibi campum relinqueret, in quo cum nominis tui gloria, reique familiaris fructu poſſes excurrere. Sed nolo pluribus dolorem, ac deſiderium tuum refricare. Tu me amabis, ut quidem amas; qua in re non patiar me a te vinci. Vale, & ſalutem plurimam dic Franciſco Mariae avunculo tuo viro doctiſſimo, & elegantiſſimo, quem etiam mihi opto harum mearum ineptiarum Ariſtarchum. Iterum vale.*

Florentiae VIII. Kal. Quint. MDCCLXVIII.

GA.

GABRIEL MANFREDIUS.

Iiſdem parentibus, quibus Euſtachius Manfredius, cujus vitam priori Decade explicavimus, natus eſt Gabriel Manfredius VIII. Kal. Aprilis an. MDCLXXXI. Fuit haud vulgare illud munus fortunae, quod in ea domo ortum habuerit, in qua praeclarum inerat exemplum, quod ſibi ante oculos poneret; hoc ſpecimen ingenii, & induſtriae, quod fratris gloriae plane reſponderit. Ut primum e pueris exceſſit Gabriel, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis informatur, Medicinae operam dedit, in qua praeceptorem habuit Dominicum Gulielminium. Sed non diu permanſit in hoc ſtudio, cum naturae quadam lenitate adeo perturbaretur in contemplandis, quibus humana vita ſubjecta eſt, malis, ut interdum illum animus relinqueret. Plurimum ſe exercuit in Geographia; adeoque ſtudioſus erat aut legendi, aut audiendi deſcriptiones regionum, ac rerum, quae in eis eſſent ad-

mirandae, ut nulla extet pars terrarum neque tam longinqua, neque tam recondita, quo ipſe non pervaſiſſe videretur. Ea propter in iis linguis cognoſcendis, quas cultiores Europae populi loquuntur, ac praeſertim Hiſpanica multum temporis conſumpſit. Attigit quoque poeticen, ne expers eſſet ejus ſuavitatis, & non ſemel, dum recitaret verſus in litteratorum hominum coetibus, plauſus maximos excitavit. Denique admirabili quodam ad mathematicas diſciplinas ſtudio commotus, totum iis ſe tradidit; ad quas eo etiam acrius animum adjecit, quod in his nova quaedam, & pene inaudita Italis eſſe intellexerat, quae ſine ſummo dedecore ab iis ignorari non poſſe videbantur, qui in omni praeclara facultate ceteris ſemper lumen praetulerunt. Ea jam tum in ſcholis Europae prope omnibus invaluerat conſuetudo, ut quaeſtiones quotcumque in Geometria occurrunt, per Algebram diſſolverentur; qui mos a Carteſio invectus uſque adeo celebrabatur, ut qui Algebram non tenerent, mathematici vix eſſe viderentur. Pulcherrimum hoc ſtudium Italiam nondum pervaſerat, nemoque Bononiae erat, qui

in illo exerceretur. Ejus igitur deſiderio exarſit Gabriel, ſeque, atque alios ad Carteſianam Algebram excitavit, in qua brevi tempore tantos progreſſus fecit, ut potuerit cum doctiſſimis comparari; quodque mirabilius eſt, obſcuriſſimos pervolvens libros infinitorum etiam analyſim, nullo duce, & perdiſcere, & illuſtrare. Coeperat jam tum extra Italiam ſummo in honore eſſe haec analyſis. Conſtat tamen inter omnes, in operibus Cavalerii, Galilaei, ac Torricellii quaedam veluti ſemina hujus facultatis reperiri: ſed multo plura tradiderunt Walliſius, Bullialdus, Barrovvius, aliique. Leibnitius vero, & Newtonus adeo rem perfecerunt, ut adhuc inter eruditos diſceptetur, utri eorum adſcribenda ſit calculi differentialis inventio. Altera autem hujus ſcientiae pars, qua ex datis quantitatum elementis horum ſumma, & illarum valor exquiritur, tam praeclare a Bernoulliis pertractata, aucta, & illuſtrata fuit, ut tamquam inventores merito ab omnibus ſuſpiciantur. Hanc, quam calculum integralem appellant, exponendam ſibi Manfredius propoſuit. Librum itaque confecit, cum ageret annum XX. edi-

ditque ſexennio poſt *de conſtructione aequationum differentialium primi gradus*, in quo ea omnia, quae ſua aetate a doctiſſimis mathematicis inventa fuerant, & in Actis Academiae Lipſienſis, & Pariſinae, aliiſque libris nullo ordine, nullaque methodo jacebant ſparſa, non ſolum ad certa capita, & ad artem redegit, ſed etiam exornavit, amplificavitque. Problematis enim analyſim praemiſit, unde facillimum ſit agnoſcere, qua via ſummi Geometrae ad ſolutionem pervenerint, quod certe in eorum ſcriptis deſiderabatur. Agit itaque primo de modis, arte, atque ſolertia, qua opus eſt, ut ex nonnullis curvarum proprietatibus erui poſſint aequationes differentiales: Cum autem illarum ad finitam ſummam reductio, ſeu integratio ſemper haberi non poſſit, totum ſtudium in eo poſuit, ut regulas, quantum fieri potuit, traderet univerſales, ad quas tamquam ad exemplaria referantur aequationes, quarum elementa, ſive unam, ſive plures habeant dimenſiones. Tradidit quoque ſatis concinnam methodum (quam per analyſim, & ſyntheſim demonſtravit) quantitates logarithmicas cujuſcumque dimenſionis per

infinitam terminorum ſeriem ſummandi, quae ſeries non raro finita evadit. Et haec quidem omnia quando in aequatione unica tantum quantitas variabilis locum habeat, quod ſi duae reperiantur, ſive ſeparari poſſint, ſive non, multa ab Auctore traduntur, quibus illarum conſtructio poſſit obtineri. Merito igitur opus tam eximium omnium admiratione exceptum fuit, pluraque a Manfredio, & majora incrementa ſibi pollicebatur analyſis. Nec fruſtra. Licet enim ab altiſſima contemplatione publicis muneribus avocaretur (nam an. MDCCVIII. adlectus fuit in numerum eorum, qui Senatui, Populoque Bononienſi ſunt a Secretis) novam tamen rationem quantitates variabiles in aequationibus primi gradus ſeparandi invenit, quae in volumine XVIII. Ephemeridum Litteratorum Italiae edita fuit. Docuit enim hanc ſeparationem obtineri ſemper poſſe, unica tantum adhibita ſubſtitutione, ſi unius, duabus vero ſubſtitutionibus, ſi plurium dimenſionum ſint elementa, dummodo in utraque ſpecie variabilium dimenſiones ſimul ſumptae aequales ſint in ſingulis aequationis terminis. Hujus inventi gloria Man-

fredio a pleriſque jure meritoque adjudicata fuit; verum cum hanc laudem nonnulli Joanni Bernoullio attribuerent, quam falſo ab his judicatum fuerit, ſatis oſtendit chartae plagula ipſius Manfredii manu ſcripta, quae poſt mortem illius inventa eſt, cujuſque exemplum hoc loco referre ad ejuſdem, & Italiae gloriam plurimum intereſſe arbitramur (1).

(1) Quel mio Teorema per la ſeparazione delle indeterminate, quando le dimenſioni delle medeſime ſono le ſteſſe in ogni termine dell' equazione differenziale, da alcuni è attribuito al Signore Giovanni Bernulli. Ho ſempre avuto curioſità di ſapere con qual fondamento a lui ſia aſcritto, e non a me, che lo pubblicai ne' Giornali di Venezia nel Tom. XVIII. nell'an. 1714. Ho finalmente trovato nell' opere del detto Signore Bernulli ſtampate in Loſanna e in Ginevra Tom. III. pag. 109. e 110. che eſſo dice d' averlo comunicato fin dal tempo del naſcente calcolo al Marcheſe dell' Hoſpital o per lettere private, ó nelle lezioni fatte per ſervizio del medeſimo Signore. Queſto teſto del Bernulli, ove eſſo fa queſta ſua dichiarazione, e che è inſerito nel detto Tom. III. delle ſue opere della detta impreſſione, è deſunto daî commentarj dell' Accademia di Peterburgo Tom. I. p. 167 ſtampato ſolamente l' an. 1728. nel detto I. Tomo di Peterburgo. Il medeſimo Bernulli alla pag. 191. referiſce ancora che io nel mio libretto *de conſtructione aequationum &c.* confeſſo di non ſapere il modo di ſeparare le indeterminate nell' equazione $nxxdx - nyydx$

Quod autem Manfredius hoc ſcriptum, dum vixit, occultaverit, id magno argumento eſt

$+ xxdy = xydx$, la quale pure è di quelle, che ſono compreſe nel mio Teorema. Forſe di quì pretenderà di far credere, ch' io non ſia l' autore di quel Teorema. Ma ſi avverta, che il detto mio libretto è ſcritto ne' primi anni di queſto ſecolo, ed è ſtampato nel 1707. in tempo, che nè io, nè il Signor Bernulli, nè forſe il Leibnizio avrebbero ſaputo ſeparare le indeterminate nella detta equazione, e che il detto mio Teorema fu poi ritrovato ſolamente verſo il 1714. quando fu ſtampato il detto tomo de' Giornali di Venezia, dove quello fu pubblicato, laddove il Bernulli non ha mai moſtrato d' avere queſto Teorema, ſe non negli Atti di Peterburgo Tom. 1. ſtampati nel 1728. come ſopra è detto. Anzi neppure il Bernulli in queſto ſuo medeſimo ſchediaſma degli Atti di Peterburgo moſtra di aver compreſa tutta l' ampiezza del Teorema, perchè alla pag. 170. del detto 1. Tom. di Peterburgo pretende di amplificare il Teorema coll' eſtenderlo anche all' equazione $axdy + dx\sqrt{xx + yy} = 0$, che è un caſo ſemplicíſſimo, e dei primi, che cadono ſotto il detto mio Teorema riferito nel detto Giornale di Venezia, dove ſi fa vedere, che cento ſegni radicali (non che un ſolo) non tolgono l' uſo del detto Teorema, che di più ſi eſtende a qualunque dimenſione degli due differenziali dx, et dy; e baſta leggere il detto ſchediaſma Bernulliano negli atti di Peterburgo alla pag. 170. per conoſcere, che Bernulli non aveva ancora ſin a quel tempo ravviſata tutta la eſtenſione, che ha il detto Teorema. Queſta Annotazione è fatta li 7. Giugno 1747.

illum a gloriae cupiditate fuiſſe alienum; & hoc ipſum ex eo etiam intelligi poteſt, quod alia a ſe feliciter excogitata minime in lucem protulerit. Invenit quippe an. MDCCXX. methodum ſolvendi per calculum differentialem ea problemata *de maximis*, & *minimis*, in quibus maximum vel minimum eſt quantitas data & conſtans. Neque multo poſt invenit etiam certam viam, atque rationem ſeparandi quantitates indeterminatas, unica abhibita ſubſtitutione, in omnibus aequationibus differentialibus primi gradus, in quibus eaedem indeterminatae primam dimenſionem nullo in termino excedunt. At quantum deſpiciebat propriam, tantum provehebat gloriam aliorum, ac praeſertim auditorum ſuorum, quibus libentiſſime omnia, quae ſciebat, impertiebatur; maximaque afficiebatur laetitia, ſi quis eorum inventis ſuis aliquid adderet. Itaque cum Franciſcus Maria Zanottus novam quamdam ſeparandarum indeterminatarum rationem inveniſſet, quae & illam, quam ipſe, & Bernoullius vulgaverant, contineret, & alia etiam quamplurima complecteretur, & manaret latius, Zanotti inventum probavit Man-

fredius, commendavitque vehementer, diſcipulo gaviſus ſuo. Poſt illa, quae narravimus, reperit Gabriel methodum formularum convertibilium, qua problema ſolvit, quod Geometris non Anglis propoſuerat Taylorus, reducendi videlicet ad quadraturam circuli, vel hyperbolae integrale celebris formulae Coteſii. Haec autem edidit in II. volumine *Supplem.* Ephemeridum Litteratorum Italiae, ex iiſque apparet Geometram Anglum dimidio tantum problematis ſatisfeciſſe. Methodum hanc ſuam formularum convertibilium fuſius etiam explicavit in opuſculo quodam, quod relatum eſt in volumen I. rerum Academiae Bononienſis. In tertia vero parte voluminis II. demonſtravit eas omnes aequationes plerumque per ſolos arcus circuli datae tangentis ſummari poſſe, & aliquando abſolute algebraicas evadere, quarum membra ſeparatis indeterminatis ſint fractiones rationales, & in denominatore radices reales non habeant, ſed tantummodo imaginarias. Oſtendit quoque aequationem gradus quarti, cujus omnes radices ſint imaginariae, ſemper dividi poſſe in duas quantitates reales ſecundae

dimenſionis. Tandem in volumine III. tradit rationem inveniendi formulas reciprocas aequationum irrationalium, cujus uſum praecipue exponit determinando valorem fractionis, in qua, conſtituto quodam variabilium valore, denominator, numeratorque nihilo aequales evadant, quod problema propoſuerat Hoſpitalius. Haec porro omnia ſatis declarant praeſtantem, ac prope ſingularem Manfredii doctrinam in ſublimiori Analyſi. Hanc intuens Senatus Bononienſis, illius diſciplinae docendae in patrio Lyceo an. MDCCXX. eidem munus impoſuit. Cui quidem muneri cumulatiſſime ſatisfecit; ejuſque ſchola non ſolum a flore juventutis, ſed etiam ab illuſtrioribus mathematicis frequentata fuit. Omnes autem cum exemplo, tum voce hortabatur, ut quas laudes ſtudio, & induſtria ſua majores noſtri pepererant, & quae alio translatae maxime viguerant, eas in illam urbem referrent, quae ſemper eſt habita magnarum facultatum & artium mater & altrix. Neque minus Gabriel valebat Aſtronomia, quam ab adoleſcentia ſtudioſe coluit, duce & comite Euſtachio fratre. Itaque an. MDCCX. ei Sena-

tus mandavit, ut ſingulis annis conderet Kalendarium Aſtrologicum; multumque fratrem adjuvit in iis, quae ad illuſtrandam, amplificandamque aſtrorum ſcientiam in vulgus edidit. Mortuo fratre, munus ei datum eſt, ut praeeſſet aquis Bononienſis agri, in eoque ejus opera magni fuit. Nam & prudens, ſi quis alius, erat rei aquariae, tantaque caritate ferebatur in patriam, ut nihil aliud agere velle videretur, quam ut ei, quibus rebus poſſet, eſſet praeſidio. Id ex ipſis ſcriptis judicari poteſt, quae multa reipublicae cauſſa confecit, quibuſque utiliſſima, & doctrinae plena dedit monita ad removenda aquarum pericula. Nec ſolum in hac aquarum procuratione, ſed in aliis quoque publicis negotiis Senatus Bononienſis Gabrielem actorem, auctoremque habuit. Sic ille cum multis, magniſque meritis apud cives ſuos valeret, praecipuis ab iis, quoad vixit, honoribus affectus eſt. Neque vero minus apud abſentes fama florebat; ex quo factum eſt, ut ſaepe a Principibus viris de dirigiendis, avertendisque aquis conſuleretur, quibus ſic ſatisfecit, ut nunquam eos exquiſitae a Manfredio ſen-

tentiae poenituerit. Noviſſimo tempore conſultus etiam fuit a Summo Romano Pontifice de exſiccanda Pontina palude. Loca inviſit Gabriel, reque mature perpenſa, retulit Pontifici non dubitare ſe illam perfici poſſe, ex eaque magnas utilitates conſecuturas. Quae autem ipſe obſervaverat, & cogitaverat ſcripto expoſuit, quod eſt in manibus hominum. Hactenus res geſtas Manfredii ad publicae rei bonum retulimus. Reſtat ut dicamus de moribus ejuſdem, ingeniique facultatibus, & ſi qua alia digna memoria erunt. Fuit in eo ſumma humanitas, & mira comitas; & quidquid rogabatur, ſi modo praeſtare poſſet, facile admittebat. In exequendo vero quod ſemel admiſiſſet, tanta erat diligentia, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere. Veritatis diligens mendacium, ac ſimulationem pati non poterat. In magna nominis fama ſemper abſuit ab inſolentia gloriae; & cum rem ſuam familiarem potuiſſet augere propter multa, quae habuit a Principibus, & Magiſtratibus mandata, ita tamen ſe geſſit, ut nullius rei cupidus, niſi publicae utilitatis eſſe videretur. Eum ſemper ſe praeſtitit in rebus

Digitized by Google

& publicis, & privatis, ut prudentiae, & conſtantiae ſervierit. Convivia, liberoſque jocos, praeſertim ſi cum amicis verſaretur, amavit; nec facile invenias, qui ſale, & lepore cum Manfredio potuerit contendere. Ex quo fiebat, ut omnes ejus congreſſionem plenam hilaritatis cuperent. Mirum! quod etiam illa, quae frigidiora erant, fierent narrante illo venuſtiſſima. Sed interdum viſus eſt, quod in ejus laudibus non ponimus, dum nimium vellet jocis tribuere, aliquid religioni detrahere. Uxorem duxit Thereſiam a Sole ſororem Joſephi a Sole, qui merito in optimis ſui aevi pictoribus numerabatur; & ex illa tres ſuſcepit liberos. Animo maximo, ne mortis quidem aſpectu perterreri potuit, quam obivit III. Id. Octobris an. MDCCLXI. poſtquam diuturno conflictatus fuiſſet morbo. Hujus vis poſtremo tempore in inteſtina prorupit; cumque febrim acceſiſſe ſenſiſſet, Canonicum Herculem Mariam Zanottum ad ſe arceſſiri juſſit; eoque adjutore, & miniſtro, omnia, quae ad Religionem pertinent, rite perſolvit. Sepultus eſt in Aede S. Mariae Magdalenae, quam qui ingreditur, rediens in memoriam Euſta-

chii, Gabrielis, Heracliti, & Aemilii, Magdalenae, & Thereſiae ſororum, & fratrum Manfrediorum, qui omnes eo loci conditi ſunt, eum vix temperare ſibi a lacrymis poſſe arbitror, cum cogitet viros, feminaſque immortalitate digniſſimas morte extinctas fuiſſe. Fuit quidem Heraclitus Euſtachio, & Gabrieli, de quibus ſatis multa diximus, aetate inferior, ſed par ingenio. Excelluit enim in omnibus Mathematicis diſciplinis, & praeſertim in Medicina, quam ad extremam aetatem ſumma opinione doctrinae exercuit. Manfrediis fratribus addere debemus Aemilium, qui cum Societati Jeſu nomen dediſſet, magnorum oratorum numero eſt habitus. Erat etiam Graecis litteris doctus, & poeta non inſuavis. Magdalena, & Thereſia non ignarae erant philoſophiae, rerumque mathematicarum. Sic vero callebant muliebres artes, ac praeſertim illam, qua telae pinguntur acu, varianturque, ut parem nullam haberent. Thereſia etiam verſus faciebat ſermone vernaculo, quibus nihil poteſt eſſe feſtivius, & urbanius. Sed ſatis de Manfrediis; ad reliquos enim feſtinamus.

OPERA EDITA.

De conſtructione Aequationum differentialium primi gradus. Auctore Gabriele Manfredio Phil. Doct. Bononienſi, Philoſophiae, quae in patria eſt Academiae ſocio Ordinario. Illuſtriſs. atque ampliſſ. Bononienſi Senatui. Bononiae typis Conſtantini Piſarii, 1707. *in* 4.

Iuvat hic referre clariſſ. Leibnitii epiſtolam, quam ad Manfredium ſcripſit, cum ab eo accepiſſet memoratum *Aequationum* librum.

Illuſtriſſimo & celeberrimo Viro Gabrieli Manfredio Gudefridus Guilielmus Leibnitius S. P. D.

PRo munere egregio gratias & meo & publico nomine tibi ago. Debebit tibi Italia, aliiſque paucis, ne expers ſit elegantioris, profundioriſque Geometriae nuper apertae. Nec dubito, veſtra ingenia magnos in ea progreſſus factura, ubi ſemel rectae viae inſtiterint. Vobis totam prope Algebram debemus, qualis hactenus habetur; nam cubici gradus reſolutio Scipionis Ferrei, & biquadratici eſt Ludovici Ferrarii. In Geometria ſublimiore coeperant praeclari aliquid agere Cavalerius & Torricellius; ſed cum in ipſis initiis haeſiſſent, alii eorum ſtudiis adiuti progreſſi ſunt longius, tandemque res ad quoddam Analyſeos ſeu Calculi genus a me perducta eſt. Eam quis miretur multum abeſſe a perfectione? cum ne in Algebra quidem hactenus aliquis publice proceſſerit ultra quartum gradum, aut ſaltem viam lon-

gius progrediendi oſtenderit. Tu quidem eleganti, atque u-tili compendio ſparſim expoſita complexus es, ut facilius appareat, quid adhuc deſideretur. Aequationem differentialem, quam ſub finem Operis conſtruis ita reſolvere ſoleo: ſit $dy : dx = z + vy$, poſito v, & z dari per x utcumque. Fiet $y = n\int(z\,dx : n)$ & log. $n = \int v\,dx$, ſeu $b^{\int v\,dx} = n$, adeoque tandem erit $y = b^{\int v\,dx} \int(z\,dx : b^{\int v\,dx})$.

Optem autem regreſſu facto Catalogos exhiberi aequationum differentialium tractabilium, ut, oblata aliqua, conſtituere facilius poſſimus primo aſpectu, an ſit in poteſtate. Sed maxime prodeſt artem exerceri per problemata, veluti ſi quis ſibi proponat in ſuperficiebus datis minimam a dato puncto ad datum ducere, aliaque id genus. Per problemata enim, & ingenium acuitur, & ſcientia augetur, atque in uſus transfertur.

Ceterum mihi ſemper gratiſſimum erit, tuo vel amicorum tuorum beneficio diſcere, quid apud vos in provehendis ſcientiis geratur. Nam & anatomiam pulchre apud vos excoli video. Sed Medicina ipſa ubique adhuc ſquallet, nec reperta ſatis ad uſum accomodantur. Itaque felicioribus ſaeculis, ideſt quibus homines & maxime Principes, magis rem ſuam curent, tranſcribere haec oportet. Quod ſupereſt vale, & ſave.

Dabam Hannoverae 10. April. 1708.

Voto del Sig. Dott. Gabriello Manfredi Pubblico Profeſſore di Mattematica nella Univerſità di Bologna ſopra il parere dei due Periti di Bologna, e di Ravenna circa l' arginare il Po di Primaro, da eſſi ſteſo dopo la viſita dello ſteſſo

Po

Po fatta nel 1758. *d' ordine della ſan. me. di Benedetto XIV.*

Riſpoſta al Sig. Bertaglia in difeſa del ſuddetto Voto.

Breve ſchediaſma geometrico per la coſtruzione di una gran parte dell' equazioni differenziali del primo grado. Extat in Volumine XVIII. *del Giornale dei Letterati d' Italia.*

Soluzione d' un Problema appartenente al Calcolo Integrale. Extat in Volumine II. *de' Supplementi al Giornale de' Letterati d' Italia.*

Extant in Commentariis de Bononienſi Scientiarum, & Artium Academia haec Manfredii Opuſcula:

De formulis quibuſdam integrandis Tom. I.

De eliminandis ab aequatione arcubus circularibus, & alia Tom. II. Part. III.

De inveniendis datarum formularum irrationalium reciprocis Tom. III.

P

JOANNI BAPTISTAE MORGAGNIO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

Audacter ſane tecum ago, mi Morgagni, quod non verear te meis litteris, meiſque nugis frequenter adeo interpellare. Sed mihi ignoſcas velim, qui habeo excuſationem multis, iiſque inſignibus notis perſpectae humanitatis, ac benevolentiae erga me tuae. Tantum non intelligo, quae te cauſſae impulerint ad iſtam in me voluntatem ſuſcipiendam. Fortaſſe opinio aliqua eruditionis: ſed magnopere timeo, ne te aliquando poeniteat erroris, mecumque agas ex Aedilitio edicto ad redhibendum, quaſi vitioſum aliquid, aut morboſum pro ſano emeris. Mihi crede, nil aliud in me eſt, quod tuto amare poſſis, niſi animus tui benevolentiſſimus, ab ambitioſa, fucoſaque amicitia prorſus alienus, ingenuus, apertus, & in honeſta ſtudia propenſus. Hujus meae propenſionis ſignum tibi erit, quod in maximis recentis muneris occupationibus vitam Bartolomaei Beccarii Romae a me inſtitutam & perfecerim, &, quantum potui, edolaverim. Hanc ad te mitto, ut ſingula in ea contenta perpendas; &

Digitized by Google

quaecumque tibi videbuntur, corrigas; quod poteris facile, & propter praeſtantiam litterarum & judicii, & propter ſingularem amicitiam, quam ab ineunte prope aetate inter te, & illum praeclarum virum uſus, conſuetudo, & liberalium ſtudiorum ſocietas, ac ſimilitudo copulavit; unde Beccarii res ſi non plane, magna ſaltem ex parte cognitae tibi eſſe debent. Multa quidem hujus conjunctionis dediſti teſtimonia in ſcriptis tuis, multa viciſſim reliquit Beccarius, quem plurimi etiam ſaepe gloriantem audierunt, ſe a primis adoleſcentiae annis exemplar habuiſſe Morgagnium ſuum in omni re praeclara gerenda, & ducem, & praeceptorem in anatomicis ſtudiis excolendis: bona enim praeterita grata recordatione renovata ſapientes in primis delectant. Vale; meque amare perge, & certo tibi perſuade, te a me mirifice & amari, & coli.

Florentiae XI. *Kal. Sext.* MDCCLXVII.

Digitized by Google

BARTHOLOMAEUS BECCARIUS.

JAcobus Bartholomaeus Beccarius Bononiae in vitam ingreſſus eſt VIII. Kal. Sextil. an. MDCLXXXII. cum parentes habuiſſet Romeum Beccarium, & Flaminiam Macariniam. Multa puer, eaque non communia ſigna dabat pudoris, atque ingenii; brevique ab hominibus Societatis Jeſu imbutus fuit iis artibus, quibus imbui ſolet puerilis aetas, ut humanitate excolatur, & ad majora veniat paratior. Laelio Triumphetto duce, in Philoſophia plurimum proceſſit, incitabatque generoſos condiſcipulos ſtudio ſuo, quo in numero fuerunt Ferdinandus Ghedinius, & Heraclitus Manfredius, quos conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut neminem ii perpetuo habuerint cariorem. Ex omnibus autem Philoſophiae partibus illam praeſertim coluit, quae in naturae inveſtigatione, contemplationeque verſatur; & adhuc adoleſcentulus tam peritus erat rei herbariae, naturaliſque hiſtoriae,

ut aetatem vinceret. Cum an. MDCXCVIII. Dominico Paſio interprete, elementa Geometriae, & Trigonometriae attigiſſet, adeo exarſit amore rerum mathematicarum, ut harum ſtudia non ſolum in adoleſcentia, ſed etiam in adulta, & in ſenili aetate, & maximis quoque aliarum rerum occupationibus diligentiſſime exercuerit. Ad earumdem vero ſcientiam comprehendendam plurima adjumenta habuit a Victorio Franciſco Stancario, Gabriele Manfredio, Antonio Leprotto, & Franciſco Maria Zanotto, quos omnibus officiis ſemper proſecutus eſt, cum eos in praeceptorum ſuorum numero duceret. Philoſophia, & Matheſi inſtructus Beccarius venit ad medicinam, tradiditque ſe in diſciplinam Jacobo Sandrio, viro in ea facultate excellenti, qui e ſchola Malpighii prodierat. Quanta diligentia, quantaque animi, & ingenii contentione Beccarius facultatem illam excoluerit, ad quam eum in primis natura ferebat, ſatis explicari non poteſt. Quidquid a Praeceptore audiebat, in animo, tamquam in ſaxo, inſculpebat: diu noctuque pervolutabat medicorum libros, quos probatiſſimos eſſe acceperat: veniebat

frequens in noſocomium S. Mariae de Morte, ut varia morborum genera diligenter examinaret, utque multa perciperet a Joanne Baptiſta Morgagnio in contemplanda admirabili membrorum animantium fabrica; requirebatque congreſſus, ſermoneſque illorum omnium, a quibus aliquid ſe diſcere poſſe ſperabat. Huic rei opportuniſſimam ſe praebuit Beccario domus Sandrii, quod in illam conceſſerat Academia *Inquietorum*, de qua multa narravimus in Euſtachii Manfredii vita. Ille igitur tantam proficiendi occaſionem non dimiſit; cumque Academicis eſſet cognitus multis doctrinae, & ingenii ſignis, facile ab iis obtinuit, ut in illorum album referretur. Principio explicavit in hoc doctorum virorum coetu cogitationes quaſdam ſuas, quibus oppugnabat ſpiritum nitriaereum, quibuſque rationem reddere conabatur vis, ut vocant, attractionis, quae eſt in corporibus electricis. Mos erat Academicorum, ut eo uterentur diſputandi genere, quod anguſtis, & exilibus ſyllogiſmis continetur, quoque nihil erat iis temporibus communius. Aegre admodum ſe ad hunc morem accommodabat Beccarius,

vixque ferebat praeſtantia ingenia in iiſdem fere ſemper haerere quaeſtionibus, quae ad dialecticam, aut ad Metaphyſicam pertinebant; neque imitari exemplum illarum Academiarum, quarum omne ſtudium verſabatur in phyſicis, & mathematicis facultatibus tractandis, illuſtrandiſque. Quae dum quaereretur, nemo poterat ſuſpicari, eum conqueri odio quodam, aut ignoratione adductum illarum rerum, quas plerumque Academici agitabant. Sic enim, ut acta Academiae teſtantur, res metaphyſicas, eas praeſertim, quas recentioris Philoſophiae principes Carteſius, Malebranchius, Leibnitius, aliique tradiderunt, excoluerat, ſicque tenebat, ut explicare docte, ſi vellet, & profiteri facile poſſet. Erant eodem, quo Beccarius, ſenſu non pauci quoque alii Academici; praeibantque omnibus Joannes Baptiſta Morgagnius, Euſtachius Manfredius, & Victorius Franciſcus Stancarius, quorum opera tandem factum eſt, ut Academia, excuſſo Scholaſticorum jugo, novum, utiliuſque amplecteretur philoſophandi genus. In hac inſtauratione placuit eligi duodecim Academicos qui *ordinarii* dicti fuerunt, atque inter eos

partiri, qui Naturalem hiſtoriam, qui Chymicam, qui Anatomen, qui Medicinam, qui Phyſicam, quique demum mathematicas facultates, quantum poſſent, illuſtrarent. Qua in partitione data eſt Beccario Naturalis hiſtoria, cui quidem ſic ſatisfecit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoſcerent. Expoſuit in ingreſſione muneris curioſa multa de Bononienſi arena quadam, quae primus omnium obſervaverat. Erant inter haec innumerabiles teſtaceorum exuviae, quas, ut & cetera marina corpora, quae paſſim occurrunt, certiſſima diluvii monumenta eſſe non dubitavit. Hanc vero ſententiam ut Academicis perſuaderet, ad eos retulit de Wodvardi libro, qui inſcribitur: *Specimen geographiae phyſicae*, undique ſpargens doctrinae ſuae lumen. Neque multo poſt accidit, ut ad Paternum montem ſe conferret una cum Ferdinando Marſilio, aliiſque Academicis, quo cognoſceret principia gypſi, aliaque ad hiſtoriam naturalem pertinentia: Quibus in rebus excutiendis vidit eſſe quaedam, de quibus antea idem Marſilius falſe ſcripſerat. Verum hic more magnorum virorum, qui ſapientiam po-

ſitam putant non in pertinacia, ſed in amore veritatis, ſe de errore doceri, ab eodemque revocari non modo facile paſſus eſt, ſed etiam vehementer laetatus. Summum, quo Beccarius tenebatur, deſiderium magis magisque proficiendi in ſtudiis Philoſophiae invitavit cives ſuos ad mandandum illi publici Doctoris munus. Primus muneris gradus, quem an. MDCCIX. aſcendit, fuit Dialecticae interpretatio, quam ſic explevit, ut omni cum veterum, tum recentiorum praeſertim doctrina diſcipulos ſuos expoliret. Hoc quoque ſe debere putavit ſtudioſis litterarum, ut iis domum ſuam aperiret, quaſi ludum univerſae quidem Philoſophiae, ſed illius in primis, cui propoſita eſt naturae inveſtigatio. Ea inter fatales quidam fuerunt caſus, quibus *Inquietorum* Academia ab excitata fortuna ad inclinatam, ac prope jacentem deſcivit; & ne plane ad interitum redigeretur, fecit duorum hominum diligentia Beccarii, & Dominici Guſmani Galeatii, apud quos tum ſumma rei erat. Recuperavit illa demum priſtinam ſuam dignitatem eo tempore, quo conjuncta *Inſtituto* fuit. Qua in conjunctione multa nova prae-

ſcripta ſunt, illud in primis, ut ſex crearentur *Inſtituti Profeſſores*, quorum omnis eſſet cura exercendae Aſtronomiae, Architecturae militaris, Phyſicae, Naturalis hiſtoriae, & Chymiae. Horum in numero fuit Beccarius, cum is Phyſici locum cunctis ſuffragiis obtinuiſſet. Etenim omnes cognoſcebant non ſolum praeſtantem ejus in omni re phyſica intelligentiam, ſed etiam ſummam induſtriam ad experiendum, & ingenium acerrimum ad conjectandum. Quae duo poſtrema raro ſane perſpicimus in uno homine copulari, propterea quod ingenii vis plurimum detrahere ſolet de illa accuratiſſima, tolerantique diligentia, quam qui non adhibent in experimentis capiendis, multa fallacibus judiciis videant neceſſe eſt. Beccarius adjutorem ſibi in hoc munere elegit (eligendi enim poteſtatem ei fecerunt *Inſtituti* Praefecti) Dominicum Guſmanum Galeatium hominem ad Phyſicam natum, ſibique arctiſſimis amicitiae vinculis conjunctum. Artifice vero conſtruendarum machinarum uſus eſt Franciſco Victuario, in quo neſciſſes utrum majus eſſet ingenium in excogitandis machinis, an induſtria, ac diligen-

tia in conficiendis. Atque horum virorum tum auxilio, tum opera multa ille patefecit, & illuſtravit obſcura, quae omnia a ſe diligentiſſime notata, ſi lucem hominum aſpicerent, plurimum & illius, & Academiae gloriam augerent. Theatra quidem bella habebat Beccarius doctrinae ſuae *Inſtitutum*, & Archigymnaſium, ejuſque ſchola celebrata ſemper juventutis flore coepit a doctis quoque viris frequentari, cum ipſe an. MDCCXII. ad Medicinam tradendam vocatus fuiſſet. Ex quo intelligi poteſt, quanta jam tum valeret opinione medicae ſcientiae, quam cum in dies faceret majorem, eo demum pervenit, ut vix ſufficere poſſet incredibili diſcere cupientium multitudini. Ineunte an. MDCCXVIII. cum totus eſſet in eo occupatus, ut ſe compararet ad anatomica multa oſtendenda, explicandaque auditoribus ſuis, incidit in contagioſam febrim, a qua in maximum vitae periculum, & in extremum pene diſcrimen adductus fuit. Atque ex hoc morbo quamvis ipſe brevi emerſerit, non potuit tamen niſi octo poſt menſes priſtinam recuperare valetudinem. Fuit enim eo tempore magna in ipſo virium

imbecillitas, accedebantque interdum febriculae, laterumque dolores. Verum animi vis vicit corporis infirmitatem. Nam cum eſſet in eo, quem diximus, ſtatu, ſuſcepto oneri oſtenſionum, explicationumque anatomicarum noluit deeſſe; & ſe patientem quoque praebuit in erudiendis Medicinae ſtudioſis, qui domum ſuam ventitabant. Mortuo an. MDCCXXIII. Antonio Maria Valſalva, qui praeerat *Inſtituti* Academiae, magna Academicorum voluntate Beccarius, qui jam Propraeſes erat, in illius locum ſuffectus eſt. Qua in poteſtate plurima praeclara geſſit, hodieque etiam regitur Academia multis Beccarii inſtitutis. Hic paucis ante annis acceſſerat ad Medicinam quoque faciendam; cumque eſſet ea, quam diximus, ſcientia, & diligentia prope ſingulari, ut non ſolum morbum ejus, cui mederi volebat, ſed etiam conſuetudinem valentis, & naturam corporis undique cognoſcendam ſibi proponeret, illud aſſecutus eſt, ut brevi inter nobiliſſimos patriae urbis medicos numeraretur. Quapropter nulla accidebat paullo difficilior curatio, quin Beccarius quaereretur; ejuſque ſententia magno erat apud o-

mnes in pretio. In conventu medicorum ſi de morbis diceret, non minus docte, quam diſerte dicebat; ſi vero conſilia ſcriberet, ea erat elegantia, ac munditia orationis, ut urbanitate quadam quaſi colorata appareret. Sic cum eſſet nobile Beccarii nomen non ſolum apud Bononienſes, ſed apud abſentes quoque, ſaepe ad curandos alibi primarios, & dignitatibus ampliſſimos viros invitatus eſt. Raro tamen venit, cum abſtrahi nollet a publicis muneribus ſuis, iiſque ſtudiis, quae culta ab adoleſcentia cum aetate in eo creſcebant. Plurimas a ſe habitas obſervationes barometricas, & meteorologicas, nec non de fatuis ignibus, & de quibuſdam maculis, quae in lapidibus apparent, atque evaneſcunt, cum Regia Academia Londinenſi communicavit, laudemque ab ea inſignis Philoſophi reportavit. Cui teſtimonio ut gravior confirmatio accederet, eadem Academia an. MDCCXXVIII. Beccarium in ſuorum numerum adlegit. At ille dum lumen ingenii ſui Londinenſi Societati oſtendebat, non minus ſedulo aderat *Inſtituto* ſuo. Cum an. MDCCXXVI. ea apparuiſſet Borealis aurora, qua nulla major poſt ho-

mines natos creditur extitiſſe, quaſcumque potuit admirabilis hujus meteori obſervationes ſtudioſiſſime collegit, collectaſque expoſuit Academicis ſuis. Expoſuit ea quoque, quae auctore Valſalva, & auxiliante Joſepho Montio, notaverat de juribus variis, quae aegrotis dari ſolent, qualia ſunt cancrorum, cammarorum, ranarum, teſtudinum, juvenci, & vituli; qua in notatione non ſolum phyſicam adhibuit, ſed etiam chymiam, cujus praeſertim ope duo ſcitu utiliſſima vidit, primum, cruſtaceorum juri alcalium principium ineſſe quoddam, quod aliis non ineſt omnibus, in his tamen implicatius eſſe, nec ita manifeſtum, ut in illo; ſecundum, in jure aliarum carnium gelatinoſam quamdam materiam deliteſcere, quae & frigore cogi poſſit, & calore diffluat, mitiſque ſit; quae materia in cruſtaceorum jure vel ſit nulla, vel certe propter adjunctum ſalem ſit diſſolutior. Ex quibus differentiis colligi debere dixit, non eamdem vim omnibus ineſſe, ut poſſint ad morbos promiſcue adhiberi, aut ſi quam habeant communem vim, ut edulcare pariter queant, aut nutrire, aut tale aliquid praeſtare, non id tamen praeſti-

tura eſſe omnia eodem modo. In medium etiam protulit, quae de corporum diſſolutionibus obſervaverat, quaeque probabant, metalla aqua ſtygia citius ſolvi in aere, quam in vacuo; idemque facere ſales, ſi frigida ſolvantur, ſi vero calida, ſolvi citius in vacuo; & hunc morem imitari camphoram quoque, & cancrorum oculos, hos vitrioli, illa vini ſpiritu ſoluta. His utiliora ſunt, quae non multo poſt de frumento, & farina diſſeruit ad rem cibariam illuſtrandam, quod ſtudium phyſico digniſſimum putavit, quia in eo res agitur & aegrotantium, & bene valentium. Invenit porro Beccarius non ſolum in multis farinarum generibus, ſed etiam in unius, ejuſdemque triticeae farinae partibus miras diſſimilitudines; & praeſertim illud admiratus eſt, quod nemo ante ipſum viderat, illarum partium unam ſic eſſe, ut nonniſi ab animantium corporibus proficiſci poſſe videatur. De viperinarum carnium natura, proprietatibus, atque uſu in Medicina ea protulit, ut omnes judicaverint obſervationum numero, reliquos, qui in hac re laborarunt, ſuperaſſe, & diligentia nemini inferiorem fuiſſe. Doluit tamen Beccarius

hiſce ſuis obſervationibus non potuiſſe tantum luminis quantum ſperabat, Medicinae afferre. De hac re in primis monendos eſſe Medicos putavit, gelatinoſam quamdam naturam viperinis carnibus contineri, quae, quamvis non ab illa admodum aliena ſit, quae animalibus aliis ineſt, diſſimilitudines tamen habet aliquas, illam in primis, quod ſit mobilior, minuſque cohaerens, & ad impediendum, ne ſerum ſanguinis cogatur, magis apta. Sic facile idem ſibi perſuadebat, vim omnem viperarum ad cutis vitia emendanda, tranſpirationemque adjuvandam in gelatinoſa illa natura poſitam eſſe. Plurima a ſe inſtituta experimenta de dactylorum luce explicavit, ex quibus intelligi potuit, quae res eamdem illam lucem vel tueantur, vel amplificent, vel etiam extenuent, aut penitus tollant. Poſtea de hac ipſa re ſane elegantiſſimum commentariolum Italica lingua compoſuit, in quod non ſuas modo, ſed aliorum quoque Academicorum obſervationes retulit. Ea diſſertatione, quam habuit de motu inteſtino corporum fluidorum, fecit, ut non amplius controverteretur a vero erraſſe illos Philoſo-

loſophos, qui docuerunt, corpora, quae fluunt, minutiſſimarum partium motu perpetuo agi; quem motum, quod eas ſurſum deorſumque, huc atque illuc quoquoverſus urgere, atque agitare arbitrabantur, *turbativum*, ſeu *agitativum* vocare ſolebant. Hiſtoriam uno libello complexus eſt morborum, qui an. MDCCXXIX. Bononiae, ejuſdem in agro dominati ſunt; nec non rheumatiſmi ſane infeſtiſſimi, qui per idem tempus Provincias multas afflixerat. Opus cum ad manus perveniſſet illorum, qui ſe *Naturae Curioſos* appellant, locum ei dederunt tertio in volumine ſuorum Actorum, quod in ipſo eſſet non mediocris copia & latinae elegantiae, & medicae doctrinae. Utinam reliqui omnes Medici in deſcribendis ſuae Provinciae morbis Beccarii exemplum imitarentur; qua re porro de facultate, quam profitentur, optime mererentur, ſuorumque utilitati plurimum conſulerent. Inter haec accidit, ut Cardinalis Proſper Lambertinius, qui totus erat occupatus in ſcribendis libris de hominibus in Sanctorum numerum referendis, Academiam *Inſtituti* conſuluerit, an miraculum putandum ſit, quod ali-

qui potuerint omni cibo, potuque ad longum tempus abſtinere. Hujus rei examinandae, momentiſque phyſicis ponderandae Academia negotium dedit Bazano, & Beccario. Sed cum Bazanus morbo impediretur, ſolus debuit Beccarius mandatae rei onus ſuſtinere; cui tamen ſic ſatisfecit, ut plane & Academiae, & Lambertinio ſe probaverit. Oſtendit ille tum experimentis, tum rationum pondere fieri naturaliter poſſe, ut jejunium quis trahat ad hebdomadas, & ſi vis etiam, ad menſes: verum tam longas inedias aut ipſas eſſe morbos, aut morbos, aut certe moleſtias afferre debere. Ex quibus concludere ſe poſſe putavit, ſi jejunium longiſſimum quis ferat cum aliquo valetudinis detrimento, id in miraculis minime habendum. Sic Beccarius fecit, quod nemo inficias iverit fuiſſe perquam utile, ne in poſterum ſpecies miraculorum pro veris miraculis, quod antea ſaepe acciderat in illis diutinis jejuniis, facile venditarentur. Multum quidem, multaque cum voluptate in his ſtudiis, quibus naturae inveſtigatio erat propoſita, detinebatur Jacobus Bartholomaeus, ſed videbat ne ea vel minimum detraherent de

ſumma diligentia, quam adhibebat vel in erudiendis diſcipulis ſuis, vel in Medicina facienda. Verſantur aliqui in ſtudiis ſcientiae, cognitioniſque, ſed ita verſantur, ut nihil, aut parum admodum conferant ad communem hominum utilitatem. Hi profecto non intelligunt, virtutis omnem laudem in actione conſiſtere: vereque ſcriptum a Platone, non nobis ſolum natos eſſe, ortuſque noſtri partem patriam, partem amicos vindicare, quod ſapientiſſimum praeceptum adeo novit, adeoque amavit Beccarius, ut vere mihi contendere poſſe videar, nil aliud toto vitae curſu ipſum egiſſe, niſi ut commodo, utilitatique non modo ſuorum civium, ſed & ceterorum hominum conſuleret. Quare minime eſt mirandum, ſi Bononienſes vel hoc ſolum nomine ſe ditiſſimos exiſtimarent, quod Beccarium haberent; & ſi aliquando tantus fuit eorum de illo amittendo timor (liberaliſſime enim ad docendam Medicinam in Patavino Gymnaſio invitabatur) ut non contenti ſuis officiis plenis ſuaviſſimi ſtudii ad illum retinendum, haec quoque Summi Pontificis Clementis XII. auctoritate adjuvanda curaverint. Sed facile fuit

retinere hominem patriae, ſi quis unquam alius, amantiſſimum, cujuſque perpetua, ac ſingularis voluntas erga illam non ſinebat ipſum vel ad diem, quietis, & remiſſionis gratia, ruſticari. Haec reſpiciens Benedictus XIV. cum aliquando fuiſſet in deſiderio Beccarii, cui valetudinis ſuae curam committeret, maluit propriam utilitatem deſerere, quam civem praeclarum, & excelſum e ſinu, gremioque patriae abſtrahere. Ipſa vero, ut gratum, ac liberalem animum ſuum eidem Beccario oſtenderet, plurimum auxit ſtipendium, quod pro munere docendae Medicinae illi pendebatur: neque multo poſt cum in Archigymnaſio novum munus inſtituiſſet, cui propoſita eſſe debebat Chymicae facultatis explicatio, ad illud Beccarium vocavit ſane honorificentiſſimis decretis, honeſtiſſimiſque conditionibus. Chymiam ab ipſa adoleſcentia ſtudioſiſſime excoluerat Beccarius, quod vere intellexerat, magnum in ea habere praeſidium Medicinam. Illam autem ipſam facultatem, ſocio, & adjutore Heraclito Manfredio exercebat in *Inſtituto* ab anno MDCCXXXIV. quo tempore Phyſici partes deſeruit. Talem igitur ſe geſſit in

novo munere, ut facile omnes illum & exercitatiſſimum, & ſcientiſſimum magiſtrum agnoſcerent. Hoc vero ſibi propoſuit, ut ea auditoribus ſuis explicaret, quae lumen afferrent Medicinae; quam facultatem & privatim tradere, & publice exercere nunquam ceſſavit. Aegrota cubabat in obſcuriſſimo conclavi mulier quaedam nobilis. Haec Beccario ad ſe venienti, & ad lectulum pedetentim, ut fit in tenebris, accedenti, quid eſt, inquit, quod tibi nitet? Mihi vero nihil, reſpondit Beccarius. Eſt profecto, inquit illa, quod tibi nitet in manibus; quod cum affirmarent quoque duo alii, qui aderant, ſenſit Beccarius fulgere adamantem egregia forma, & magnitudine, quem gerebat in annulo. Tum ille: Nae tu, mulier, Philoſophiam praeclaro invento hodie locupletaſti. Feciſti enim, ut intelligerem adamantem acceptam extrinſecus lucem retinere, quod de aliis rebus ſaepe audivimus, de adamantibus nunquam. Porro rem hanc caſu objectam, ſtudio, & labore amplificandam eſſe exiſtimavit Beccarius. Etenim, ut erat ſcientiae cupidiſſimus, una re contentus eſſe non poterat. Vidit ergo longa

experimentorum ſerie, gemmas alias, & finitimos his lapides nulla luce inſigniri; vidit non omnes adamantes phoſphoros eſſe, flavos maxime aptos eſſe ad accipiendam, retinendamque lucem; trahere hanc poſſe, niſi inertiſſimi ſint, non ſolum ab ipſo ſole, ſed a luna quoque, a flammae radiis, & ab aperto aere. Quae dum ſedulo inſpiceret, notavit luminum differentias, eaſque res, quae lucem augerent, ac deteriorem facerent; artemque quaſi quamdam invenit, hujus lucis reſtituendae, revocandaeque, cum interierit, in quo ejus maxime cognita eſt induſtria. Voluit quoque tentare, ſecutus veſtigia Caroli Franciſci Fay, ſi poſſet cauſam evolvere, quare adamantes alii lucem recipiant, alii non, alii majorem, minorem alii; ac primo viſum eſt ſibi poſſe illam probabiliter repeti a metallico ſulphure, cujus nonnihil eſſe in adamantibus ſuſpicabatur. Sed cum plurima, quae ad hanc rem fecit experimenta, male vertiſſent, noluit amplius de lucis cauſſa, cujus inveniendae deſperatiſſimam eſſe ſpem putavit, laborare. Rediit ergo ad ipſam lucem Phoſphororum, quam inveſtigare non ſolum

in adamantibus, ſed in omnibus pene corporum generibus ſibi propoſuit. Animadvertit ille duo maxime ad Phoſphoros dignoſcendos requiri, primum, ut Phoſphori ipſi quam citiſſime a lumine in tenebras transferantur, deinde, ut qui de Phoſphoro vult cognoſcere, is ante in tenebris diu fuerit. De quibus rebus cum diligentiſſime ipſe ſibi caviſſet, potuit tam multos Phoſphoros invenire, ut illorum ordines fecerit, & quaſi in cohortes diſtribuerit. Neque contentus enumeraſſe genera corporum, quibus lux adhaeret, qualitates etiam corporum varias recenſuit, quae valent ad impediendam, aut juvandam lucis adhaeſionem. Tales praeſertim ſunt humiditas, ſiccitas, calor & frigus. Quas omnes res tam copioſe, tam eleganter, tam docte ad Academicos prius retulit, mox duobus commentariis expoſuit, ut permagna ex iis facta ſit acceſſio & Beccarii gloriae, & phyſicae facultati (1). Erant apud Beccarium induſtriae

Q 4

(1) Vide ſis quae de Phoſphoris ſcripſit Wilſamus, ediditque Londini an. MDCCLXXV. mirifice is magna experimentorum copia Beccarii inventa confirmat. Non dubitare

quidam ſtimuli atque laboris multa quae celebrabantur Anglorum, & Gallorum inventa; & talia eſſe dicebat Italorum ſuorum ingenia, ut cum peritiſſimis in omni diſciplinarum genere contendere potuiſſent. Ea propter auctor fuit Jo. Baptiſtae Beccariae edendi quae de electricitate, ut vocant, artificiali & naturali notaverat; nec gaviſus modo eſt quod hanc phyſicae partem vir omnino ſummus nova luce illuſtraverit, ſed etiam quod extare voluit aeternum mutuae animorum, ſtudiorumque conjunctionis monumentum, cum quas hac ſuper re vulgavit epiſtolas Beccario ipſi inſcripſerit. Hic autem laudem quoque non mediocrem reportavit ab iis, quae juſſu Academiae diſſeruit de *ſedimentis* aquae, quae prope Recobarium in Vicetina regione ſcaturit; & dum nominis ſui immortalitati proſpiceret, tam multa contulit in Academiae, & *Inſtituti* ornamentum, ut utrumque horum pro ſummis Beccarii in ſe meritis ſummos quoque ei reddere honores

re tamen ſe dicit quin Phoſphororum lux diutius duret quam putaverat Beccarius. Phoſphoros lucem propriam habere arbitratur, quanquam ſole ii indigeant ad ipſam manifeſtandam.

magnopere cuperent. Ex quo factum eſt, ut cum ineunte an. MDCCL. Matthaeus Bazanus, qui primus fuerat *Inſtituti* Praeſes, deceſſiſſet, non ſolum delatum hoc honorificentiſſimum munus Beccario fuerit, ſed ei quoque raro exemplo permiſſum, ut eodem tempore, quo rem univerſam gereret, chymicam etiam exerceret. Legibus enim cautum eſt, ne unus duobus ſimul fungatur muneribus. Praefuit ei poteſtati Beccarius admirabili ſedulitate, atque prudentia: tantum autem chymicae ſcientiae laude crevit, ut nemo ei par in Italia poneretur. Ex omnibus ejus chymicis diſquiſitionibus eae in primis habentur in pretio, quae jurium varia genera, frumenti & lactis naturam explicant. De quibus prioribus, quoniam ſatis multa ſupra narravimus, reſtat ut de lacte pauca dicamus. Exiſtimaverat Boerahavius lactis naturam ſalium omnino expertem eſſe; neque levis erat conjectura illa, quod in bubulo recentiſſime mulcto, admixto alcali ſive fixo, ſive volatili, aut affuſo acido quovis, illum non efferveſcere, ſed tantummodo perturbari, & aliquatenus ſpiſſeſcere vidit. Adde, quod diſtillatio ipſa ſalem nullum prodide-

rat. Rem diligentius, ſubtiliuſque ſcrutatus Beccarius, comperit, neque lacti, neque ſero alcalicum illum abeſſe ſalem, quem volatilem vocant. Similiter id ipſum reperit, quod fruſtra quaeſierat celeberrimus chymicus Macquerus, in caſeo. Quae vero experimenta patefecerint inventa haec, idem exponit opuſculo quodam, cui locus datus eſt in Tom. V. Par. I. rerum, quae ad Academiam *Inſtituti* pertinent. Cum eſſet in illo, in quo diximus, dignitatis gradu collocatus Beccarius, ejuſque occupationes cum aetate quotidie ingraveſcerent, videbatur aliquid remiſſurus de ſumma opera, quam conferebat in erudiendos ſtudioſos adoleſcentes. Sed vir a labore invictus, & patientiſſimus tenuit conſuetudinem, inſtitutumque ſuum, ejuſque ſchola, atque domus referta ſemper fuit juventutis flore. Tanta autem patientia eo majorem admirationem habebat, quod ei natura dederat igniculos quosdam, quibus ad iram, vehementeſque alias animi motiones facile commovebatur. Sed ille voluit exemplo oſtendere, quod ſaepe voce docebat, magis animi, quam corporis medicinam colendam, eoſque vere ſapientes, ac-

beatos eſſe, qui ſciunt diſtortis, & pravis mederi affectionibus. Idem aequabat omnes vigilantia in ſtudiis, cujus rei non mediocre eſt indicium, quod paucas horas priuſquam moreretur, voluit notare altitudines barometrorum, & thermometrorum, quas ter in die obſervare conſueverat. Sic vir doctiſſimus multis, variiſque perfunctus laboribus acquievit an. MDCCLXVI. XV. Kal. Feb. Sepultus eſt in Aede, cui nomen S. Mariae *ad Baracanum*, cum hac inſcriptione.

Digitized by Google

A ☧ Ω

HIC REQUIESCIT
IACOBUS BARTHOLOMAEUS
BECCARIUS
INSTITUTI SCIENTIARUM PRAESES
MEDICINAE ANATOMES ET CHEMIAE
PROFESSOR EMERITUS
EX UTR. COLLEGIO DOCT. ART. LIBERAL.
VIR SAPIENTISSIMUS ET INTEGERRIMUS
QUI VIXIT ANN. LXXXIII.
M. V. D. XXIV.
DECESS. XV. KAL. FEB. ANN.
M. D. CC. LXVI.
SOCIETAS S. M. AD BARACANUM
FRATRI AMANTISSIMO ET B. M. P.

Illius funus perhonorificentiſſimum fuit, idemque perluctuoſum. Solvit extrema officia amico, cognatoque cariſſimo vir omni liberali doctrina politiſſimus Flaminius Scarſellius, cum eum laudaſſet nobili, elegantique oratione. Amplam profecto ſegetem, & materiem laudandi praebebat is vir, in quem optime illa

Xenophontea de Socrate quadrant ; *illum maximum ſui deſiderium reliquiſſe omnibus, qui eum probe noſſent, virtutemque appeterent, eo quod eſſet ad virtutis ſtudium apprime utilis; fuiſſe vero ita pium, ut nihil inconſulto Deo faceret; ita juſtum, ut neminem ne minimum quidem laederet, juvaret vero plurimum omnes, qui eo uterentur; ita continentem, ut nunquam voluptatem honeſto anteferret; ita prudentem, ut nunquam erraret in melioribus ſecernendis a pejoribus, nec alterius ope indiguiſſe, ſed ſuffeciſſe ſibi ad earum rerum omnium cognitionem, idoneum quoque ad eaſdem res ſermonibus exponendas, diſtinguendaſque, idoneum ad perſcrutandum, ad reprehendendos etiam peccantes, traducendoſque ad virtutem, & honeſtatem; talem denique virum fuiſſe, qualis eſſe poſſit vir vel optimus, vel feliciſſimus.*

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Lettera al Cavaliere Tommaſo Dereham intorno la meteora chiamata Fuoco Fatuo. Edita primum eſt in Societatis Londinenſis Tranſactionibus, mox in libro cui titulus: *Saggio delle Tranſazioni Filoſofiche della Società Regia dall' anno 1720. fino a tutto l'anno 1730. tradotte dall' idioma Ingleſe dal Cavaliere Tommaſo Dereham Tom. V. in Napoli 1734. per li Moſcheni, e compagni in 4.*

Diſſertatio Metheorologico-Medica, in qua aeris temperies & morbi Bononiae graſſantes annis MDCCXXIX. *& ſequenti deſcribuntur*. Extat in Volumine III. Act. Phyſic. Med. Acad. Naturae Curioſorum pag. 142.

Parere intorno al taglio della macchia di Viareggio. *Lucca 1739. in 4.*

De Longis Jejuniis Diſſertatio. Extat in appendice ad Primam partem libri IV. *d· Servorum Dei beatificatione, & beatorum Canonizatione, auctore Proſpero Cardinali de Lambertinis. Patavii 1743. in fol.*

De quamplurimis phoſphoris nunc primum detectis commentarius. Bononiae 1744. in 4.

De quamplurimis phoſphoris commentarius alter. Extat in tomo II. part. II. comment. de Bononienſi Scientiarum, & Artium Inſtituto, atque Academia. In his commentariis extant alia quoque opuſcula Beccarii, videlicet.

De motu inteſtino corporum fluidorum Tom. I.

De Medicatis Recobarii aquis Tom. III.

De Lacte Tom. V. In his voluminibus plura quoque

referuntur de cogitatis, & experimentis Beccarii, quae ſingula hic memorare ſupervacaneum putamus.

Epiſtolae tres medicae ad Franciſcum Roncalium Paroliſum. Extant in hujus opere, quod inſcribitur: *Europae medicina a ſapientibus illuſtrata & obſervationibus adaucta*. *Brixiae* 1747. *in fol.*

Scriptura Medico-Legalis. Extat in libro, cui titulus: *De potentia, vel impotentia ad generandum ob virulentam Gonorrhoeam in Titii circumſtantiis conſideratam*. *Quaeſtio medica habita in foro Mediolanenſi anno* 1749.

----- alia: *Sopra una mirabile inſtantanea guarigione impetrata da Dio per i meriti, come piamente ſi crede, di Caterina Biagiotti*. *Lucca* 1759.

Narratur mihi extare quoque tria alia medico-legalia ſcripta Beccarii, quae videre non contigit.

OPERA INEDITA.

Inſtitutiones medicae in quinque libros diviſae de medicina practica, de morbis trium ventrium, & de febribus.

Conſilia Medica amplius cccc.

Introductio ad chymicam, in qua agitur de principiis corporum.

Obſervationes metheorologicae, quae XL. & amplius annos complectuntur.

Diſſertationes Metheorologicae duae.

----- *De Flamma*.

----- *De Igne duae*.

----- *De refrigeratione aquae ob ſalium diſſolutionem*.

----- *De Solutione corporum*.

----- *De corporibus fluidis*.

----- *De Vitriolo.*

----- *De puteali aqua duae.*

----- *De perſpiratione plantarum*

Praelectiones anatomicae.

Praefationes variae.

Theoremata generalia, & quaeſtiones nonnullae de Phoſphoris.

Oratio in ingreſſu ad lecturam, De optimo dialectico inſtituendo.

----- *De Ariſtoteleorum dialectica:*

----- *De dialecticae laudibus:*

----- *De laudibus Dioeteticae:*

----- *De neceſſitate tractatus de febribus:*

----- *De recentiorum medicorum praxi.*

Conſulti del Beccari pubblicati l'anno 1777. Ved. n. 43. Efemeridi dell'anno ſudd.

AN-

Digitized by Google

FERDINANDO GHEDINIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

SI quantum es benemeritus de Patria & litteris, tantum abs te amantur, qui pro viribus ſuis gloriae & utilitati illarum conſulere ſtudent, nae ego non temere in eam ſpem veni, fore ut commentariolum, quod a me noviſſime confectum eſt, quodque ad te mitto, de vita litteratiſſimi viri ac civis tui Petri Jacobi Martellii, aditum mihi ad tuam amicitiam patefaciat. Augent hanc ſpem meam uſus, familiaritas, ſtudiorum honeſtiſſimorum ſocietas, quae tibi cum eodem fuerunt, quae res plurimum apud te valere debent, ut hominem complectaris, qui non mediocrem operam collocavit in exprimendis moribus, conſuetudineque vitae illius, de quo recordari non potes, quin renovetur veteris amoris, praeteritorumque officiorum delectatio. Neque hujus unius viri cauſſa mihi benevolentiam tuam debes, Ghedini ornatiſſime. Nam elaboratum quoque a me eſt, ut imagines exprimam aliorum Bononienſium doctrina illuſtrium, qui tibi aut fuere, aut ſunt arctiſſimis

amicitiae vinculis conjuncti; &, ſi vita ſuppetet, hoc tibi etiam officium perſolvam, quoniam deberi hoc a me tantis viris puto, ut cum vivam illorum memoriam teneamus, hanc reddere immortalem coner. Neque hoc dictum arroganter exiſtimari velim. Nam licet non ea ſit ſcriptorum meorum elegantia, quam immortalitas conſequi debeat, ea tamen eſt materies, quam tractandam ſuſcepi, ut nulla unquam futura ſit tam ingrata poſteritas, quae non libentiſſme excipiat monumenta, quamvis incompta, virorum, qui optime de litteris meriti ſunt. Quae utinam, qui legent, ſcire poſſent, quantum ſtudii poſuerim in iis colligendis, veroque quaerendo, quo facilius mihi ignoſceretur, ſi quid a me forte peccatum eſt. Quid porro praeſtiterim in hac contexenda Martelliana vita, nemo te melius videre poteſt; quodque de hac ipſa te judicem ſtatuam, qui cum Martellio joca, ſeria, ut dicitur, arcana, & occulta omnia habuiſti, hoc quoque erit diligentiae meae ſignum. Reſtat, ut hoc judicium tuum ſevere exerceas, meque doceas (non enim te judicem modo, ſed etiam doctorem cupio eſſe) ſi qua erunt, quae vel addenda, vel mutanda eſſe, vel tollenda omnino tibi videantur. Hoc a te vehementer etiam atque etiam peto, prae-

ſertim cum fieri non poſſit ſine aliquo indicio tuae ergà me benevolentiae, quam ſi adipiſcar, omnia me adeptum arbitrabor. Vale.

Romae Kal. Martii MDCCLXVI.

PETRUS JACOBUS MARTELLIUS.

PEtrus Jacobus Martellius Bononiae natus eſt IV. Kal. Majas an. MDCLXV. patre Jo. Baptiſta, viro ea morum integritate, eaque ſcientia philoſophiae, hiſtoriae naturalis, ac praeſertim medicinae, ut judicari haud facile poſſet, utrum melior eſſet, an doctior. Hic mature filium tradidit diſciplinae hominum S. J. a quibus grammatica, & rhetorica imbutus eſt, omnibus oſtendens quanta eſſet ingenii docilitate. Sed non minus interea in chriſtiana pietate proficiebat, cum in primis emineret in puero ſummum pauperes ſublevandi ſtudium. E ludo Jeſuitarum venit ad publicum Gymnaſium, habuitque philoſophiae praeceptorem Paullum Sangettum ex Clericorum Regularium infirmis miniſtrantium familia, cujus magnum erat iis temporibus, & apud illam gentem nomen; contentoque ſtu-

dio ac curſu, uſus aliis praeclaris doctoribus, rerum divinarum ſcientiae, ac juris prudentiae operam dedit. Tali modo cum ad undeviceſimum aetatis annum perveniſſet, coepit ſecum ipſe cogitare, qui & qualis eſſe, quodque genus ſtudiorum ſequi potiſſimum vellet. Plerumque fit, ut juvenes ea maxime exoptent, quae parentibus pulcherrima videntur, & ad eorum ſtudia impellantur. Contigerit hoc multis, Martellio non item, qui mortis inſtar putabat, ſi facere medicinam cogeretur. Negare tamen patri non potuit, quin ei ſaltem ſtuderet: itaque per aliquot annos audivit Volparium, alioſque exquiſitos hujus facultatis magiſtros, quibus ſemper urbs illa abundavit. Medicinae faſtidium adauxit amorem in humaniores litteras, quibus jam a puero Martellius deditus fuerat, earumque in ſinu complexuque omnem ille moleſtiam deponebat. Ad has toto pectore colendas cum ſua ſponte ſuoque judicio moveretur, acceſſit quoque cohortatio viri earumdem litterarum gloria praeſtantis Camilli Ettorii, quem non ſolum auctorem, ſed etiam adjutorem habuit ad ſe exercendum in lectione oratorum, poetarum,

hiſtoricorumque Graecorum. Graecis Latina conjungebat, & ex unoquoque auctore multa praeclara ſumebat, quae aut memoria complectebatur, aut in adverſaria conijcebat. Nec minus ſtudioſe legebat ſcriptores Italos Dantem, Petrarcham, Boccaccium, ceteroſque bonos, quos illa corrupta aetate nemo fere in manus ſumebat. Tunc enim homines deteriorum quam ſimillimos ſe eſſe malebant, cum nihil de verborum delectu, de ſententiarum gravitate, de moribus animique affectibus exprimendis ſolliciti pueriles tantum ineptias ſcurrileſque argutias, aut turgidum quoddam dicendi genus ſectarentur. Quod autem inter hanc inſcitiae caliginem Martellius ad veterum Italorum ſcripta jam a prima adoleſcentia reſpexerit, debere ſe in primis fatebatur celebri pictori Carolo Cignano, quem pater, ut erat picturae mire ſtudioſus, domi ingenti ſumptu alebat. Hic enim videns quam praeclaro eſſet Petrus Jacobus ingenio, quod non modo in ejus ſermone, ſed in vultu etiam ipſo, & oculis elucebat, quoties ei ſe occaſio dabat, multa praedicabat de illis ſcriptoribus, in quibus is erat haud mediocriter verſatus;

eorumdemque amore ut illum magis accenderet, dum ipſe pingeret, inſignem aliquem locum eidem legendum dabat, quaeque maxime excellebant, ea diligentiſſime perſequebatur. Sic cum hos auctores quotidie haberet in manibus Martellius, ejus oratio illorum cantu, ut ait ille, non ſecus ac qui in ſole ambulat, quaſi colorabatur; cumque in lucem prodiiſſet, ſtatim famam apud cordatos viros conſecutus eſt adoleſcentis, in quo eſſent plurimae litterae, eaeque non vulgares, ſed interiores & reconditae. Delectabatur praeſertim poetica, ad quam eum natura formaverat, cui tamen haud ita obſecundabat, ut non ſibi ante oculos poneret inſignem aliquem ſive Graecum, ſive Latinum, ſive Italum ſcriptorem, quem imitando effingeret. In hoc ſtadio aemulum habebat Euſtachium Manfredium, cum quo certare erat glorioſum, ita tamen ut neuter alterius curſum impedire contenderet, ſed contra ſemper alter ab altero & communicando & monendo adjuvaretur. Frequentabant docti hi adoleſcentes domum Joannis Joſephi Urſii, quae quaſi ludus quidam omnibus patebat, qui com-

mendationem ingenii haberent. Hic, cui in primis cari illi & jucundi erant, coepit ardentes & erectos cohortari ad bellum contra barbariem inferendum. Hujuſmodi impulſu ipſi alacriores ad rem gerendam facti ad arma conclamant, bene animatos confirmant, alienatos ad ſanam mentem convertere ſtudent, & quantum conniti animo potuerunt, quantum labore contendere, tantum fecerunt, ne ulla pravitatis veſtigia manerent. Interim Martellius ex animi ſui ſententia uxorem duxit Catharinam Torrem, cujus amore (erat enim multis non tam corporis, quam animi virtutibus ornata) quantum ille flagraſſet, ſatis indicant multa ejus carmina, quibus Amaryllidis nomen celebravit. Nec ita multo poſt, cum idem ageret ſecundum & triceſimum aetatis annum, creatur Scriba Senatus. Sed hae laetitiae minus ei diuturnae fuerunt. Nam quaedam domeſticae calamitates vehementer hominem afflixerunt, ad quas acceſſit etiam omnium acerbiſſima, mors videlicet patris. Atque haec etſi chriſtianum animum non frangebant, multum tamen ei detraxerant de priſtina hilaritate, adeo ut exiſtima-

rent homines, vel totum ſe abalienaſſe a jucundiſſima Muſarum conſuetudine. Sed falſo. Nam in his malis additum potius erat aliquid ad ſuum erga illas ſtudium, cui nihil videbatur addi poſſe, quam quicquam detractum. Nam maximum in eis malorum levamentum reperiebat. Tantum occultabat ea, quae ſcribebat: ſcribebat autem de re digna pietate ſua, quamque accommodatiſſimam duxit his ſuis calamitoſis temporibus. Fecit ergo poema, quod inſcripſit: *Gli occhi di Gesù*: cujus totam formam antea Latine expoſuerat, & cum ſummo viro Ludovico Antonio Muratorio ſibi amiciſſimo tantum communicaverat. Illud quoque occulte moliebatur, ut conderet tragoedias, ad quod poeſis genus eum natura ferebat. Impellebat etiam ea cogitatio, quod magni intererat ad decus & laudem Italiae, ut tragoedias haberet, quas populis ſuis ſpectandas daret. Nam praeter quaſdam antiquiores, ad Graecorum certe lucernam elaboratas, ſed quas illius aetatis homines exegerant, nihil erat. Quo fiebat, ut omnis eſſet in Italiae theatris dominatus Gallicarum tragoediarum, quas plurimas in Italicum con-

verterant Joannes Joſeph Urſius, Euſtachius Manfredius, aliique docti viri. Itaque coepit evolvere quotquot ſcripſerunt tragoedias Quinaultium, Cornelium, Racinium, Grangium, Foſſium, Crebillionium, alioſque celebriores poetas Gallos; idque eo attentius fecit, quod viderat hos populo, cujus veriſſimum eſſe in hoc genere judicium tradit Ariſtoteles, vehementer probari. Poſt hoc multum ſtudii conſumpſit in iis, quas habemus, tragoediis Sophoclis, Euripidis, & Eſchili; nec praetermiſit quoque inſigniores veterum Italorum; ex quibus omnibus dum ſingula diligentiſſime ſcrutabatur, infinita propemodum ſumpſit ad uſus ſuos accommodatiſſima. Neque hoc ſolum fecit, ſed etiam penitus noſcere voluit eos, qui praecepta artis tradiderunt. Sic igitur inſtructus venit ad ſcribendas tragoedias; primuſque laborum fructus fuit *Neronis mors*, quam verſibus hendecaſyllabis compoſuit. Sed hoc carminum genere minime ille contentus fuit. Nam cum videret multis illud egere ornamentis, quibus tanquam columnis fulciretur, magis ad epicam & lyricam poeſim, quam ad tragicam aptum eſſe judicavit. Ex

quo factum eſſe dicebat, ut ſententiae in veteribus Italicis tragoediis multum deperderent roboris atque acuminis. Id ut vitaret malum, aliam viam tentandam putavit; ac re diu multumque ſecum deliberata, e multis carminum generibus elegit illud, quod quatuordecim ſyllabis conſtat, ea tamen lege, ut quaeque ſeptima producatur, & extremae cujuſcunque diſtici ſyllabae ſimiliter deſinant. Haec ſtudia domi incluſa habebat Martellius, dum Reipublicae quaedam procuratio (muneri enim Scribae Senatus acceſſerant alia onera extraordinaria) multis officiis inexplicatum & conſtrictum tenebat; illaque, cum licebat, renovabat. Interim Senatus, id fuit anno MDCCVII. ad tradendas humaniores litteras publico in Gymnaſio ipſum elegit; nec multos poſt menſes ab epiſtolis eumdem eſſe voluit Philippo Aldrovando, quem miſerat Legatum ad Clementem XI. Ad hoc officium nemo admittitur niſi honeſto loco, & fide & induſtria cognita, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem; illudque ita ſuſtinuit Martellius, ut ſummae, quae de eó erat, expectationi plane reſponderit. Adſpectus Urbis, quo cum

uxore & liberis venit ineunte vere anni MDCCVIII. priſtinam hilaritatem ei reſtituiſſe viſus eſt. Ille magni intereſſe putavit, ut ad illam conjunctionem, quam Senatus judicium inter ſe & Aldrovandum eſſe voluerat, adjungeretur quoque conſuetudo; idque ſic obtinuit, ut nulla unquam fuerit amicitia conjunctior. Pari felicitate conciliavit ſibi amicitias doctorum virorum, qui tum plurimi in Urbe erant, atque in primis carus iis fuit, qui in Arcadum coetu florebant, quem in coetum jam ab anno MDCXCVIII. fuerat cooptatus. His ſuadere non deſtitit, ut morem repeterent in unum locum conveniendi, proferendique aliquid in aſpectum lucemque perfectum ingenio, elaboratumque induſtria. Anni enim plures erant, cum propter inteſtinas diſſenſiones publico carebant. Paruerunt ii monitis Martellii non minus ejus auctoritate, quam exemplo moti. Nam idem in conventu, qui habitus eſt in hortis Ruſpoli Principis in Exquiliis, dixit orationem, in qua expoſuit quo in ſtatu res Arcadum eſſent; idque eo ſpectabat, ut aliquem impelleret ad concedendum locum certum ac ſtabilem, in

quo iidem Arcades conſiſtere poſſent. Huic orationi ſane ſuavi, eruditae, politaeque ab univerſo conſeſſu plauſus multiplex fuit datus, idque Auctori aditum patefecit ad amicitiam quorumdam, qui erant honoribus ampliſſimis ornati, quibuſque ille non ſatis antea cognitus erat. Nec diu, qui vir eſſet Martellius, fugere potuit acerrimum illum ingeniorum exiſtimatorem Clementem XI. qui quidem oſtendit magna in gratia atque opinione ſidei ac prudentiae eumdem apud ſe eſſe, tum in aliis rebus, tum in eo praeſertim, quod graviſſima illi mandata dedit ad Cardinalem Grimaldium, qui iis temporibus Bononienſem Provinciam gubernabat. Poſt expleta mandata vix in Urbem redierat Martellius, cum orbatus fuit Joanne Baptiſta, qui erat minimus natu trium, quos ſuſceperat, filiorum, quique omnes ingenio ac feſtivitate ſuperabat. Hunc caſum doluit ille vehementer: ſui vero doloris voluit extare memoriam ſempiternam in multis Italicis carminibus ſane elegantiſſimis, quibus Oſmini (in hoc enim Joannis Baptiſtae nomen commutavit) mortem deflet. Doloris haud mediocre levamen fuit alterius filii

ortus, cui pariter Joannis Baptiſtae nomen dedit. Alios quoque ex ſe foetus non fragiles ac fluxos, ſed claros aeternoſque procreavit, qui, ſi ullus gloriae ſenſus erat in eo, calamitatem illius ſolari non parum poterant. Protulit enim in lucem eodem ferme tempore poema *Oculorum Jeſu* multis locis emendatum ampliatumque, libellum *de arte poetica*, volumen *carminum Italorum*, alterumque volumen *tragoediarum*, nec non opuſculum *de verſu tragico*. Ad ſenſum virorum, quorum judicium eſt acerrimum, habet illud poema varietatem magnam, tantaque eſt copia rerum, quibus ornatur, ut nihil poſſit eſſe dulcius iis praeſertim, qui aliquam intelligentiam habent theologiae, philoſophiae, atque aſtronomiae. Nam in eo multa admiſta ſunt ex his facultatibus deprompta: quodque vix credibile eſt, res altiſſimae adeo dilucide ac poetice declarantur, ut aeque ac belliſſimae fabulae lectorum animos oblectent. Omnem autem digreſſionem ab eo, quod propoſitum eſt, ita moderatur Poeta, ut ex ipſa re effloruiſſe videatur. Idem voluit, ut novitas quoque hoc ſuum poema commendaret, illaque non

tam in inventione apparet, quam in elocutione, quae quidem ſplendida eſt atque magnifica, ſed quandoque artificioſe caeditur, habetque idiotiſmos quoſdam, qui minime diſplicebunt libertatis amatoribus. Ut vero Martellius hominibus perſuaderet, cum quadam veri ſimilitudine ſe finxiſſe in quarto libro hujus poematis, per immenſum caeli ſpatium in navi alata vectum ſe fuiſſe, Dialogos quoſdam fecit, vulgavitque hoc eodem tempore, in quibus probare nititur, arte fieri poſſe, ut homo aliaque gravia corpora ab aere ſuſtententur ac volent; rationemque tradit volantis navis conficiendae. Ludicram hanc, ut ille appellabat, apologiam, ſic tractavit, ut in ea ſtyli elegantia cuidam novitati conjuncta, varia eruditio, multaque doctrina ſumpta praeſertim e recentiorum philoſophia ſplendeſcat. Utique Martellium in principibus numerandum eſſe poetis, qui hoc ſaeculo floruerunt, ſatis etiam indicat volumen carminum, quod ſupra commemoravimus. Siquidem ineſt in his varius numerus, qui ſemper aures complet, ſplendor verborum ac ſententiarum, quidam venuſtatis non fuco illitus, ſed ſanguine diſ-

ſuſus color, figurae, quae res ante oculos ponunt, novi quidam atque admirabiles tum cogitandi, tum dicendi modi, quae quidem, aliaeque virtutes, cum ubique appareant, maxime tamen elucent in carminibus, quibus aut nuptias Rinaldi & Carlottae Eſtenſium celebravit, aut pietatem Ludovici XIV. Galliarum Regis in aſtra ſuſtulit, aut homines ad amandum Deum excitavit, aut mortem deflevit Proſperi Malvetii, aut ad paſtoritiam tibiam cecinit diem, quo Joannes Nicolaus Tanara in matrimonium duxit Thereſiam Zambeccariam. Quam vero viam ille ſecutus fuerit, ut ad laudem inſignis poetae perveniret, voluit ut eſſet nota omnibus. Itaque Sermones novem Italicis verſibus condidit, in quos quidquid habuit judicii de arte poetica contulit; iique adeo auctori ſuo probabantur, ut non recuſaret, quin quantum de iiſdem Sermonibus, tantundem de judicii ſui fama detraheretur. Exponit in ipſo ingreſſu qualis eſſe debeat indoles illius, qui ad poeſim aſpirat. Quoniam vero in hoc difficili itinere non minus ars, quam natura dux eſſe debet, tranſit ad docendum quid ſit id, quod arte

efficì poſſit; irridetque eos, qui cum in poetica parum aut nihil ſe exercuerint, tamen hujus facultatis praecepta tradere ſe poſſe putant. In primis jubet perſpicere quid in quaque re verum ſit, idque ſic exprimere coloribus, ut qui legunt, ſibi oculis perſpicere videantur. Quapropter multum intereſſe ait, ne quis in deſcribendis rebus nimius ſit, ut oratio ſemper conſonet moribus, fortunis, actionibuſque hominum, de quibus loquimur, omninoque poeticus decor ſervetur. Admonet adoleſcentes quid ſequi, ac cavere debeant in legendis imitandiſque Scriptoribus, inter quos pleniſſimo ore laudat Chiabreram & Guidum; ceteros vero quanquam primorum graduum non tam laudat, quam libere reprehendit. Videtur profecto Martellius ſic informare vello poetam, ut in eo vim artificii conſumat, quo is potius ab aliis imitandus, quam aliorum bonus imitator exiſtimetur. Omnibus autem praecipit, quod ille ſancte ſemper ſervavit, ut in ſcribendo non alia lingua utantur, quam propria; vultque licere etiam in lingua copioſiſſima, qualis profecto eſt Itala, novos interdum proferre dicendi modos. Quaſdam bre-

ves,

ves, & non communes dat regulas formandae poeticae dictionis; atque Horatiana monita de ſcriptis diu domi premendis, deque idoneo eligendo Ariſtarcho decantat. Propoſitum hoc fuit Martellio, ut quae in hos Sermones intulit, praecepta de arte poetica non tam explicaret, quam oculis ſubjiceret. Quod quidem mirabiliter praeſtitit; utque praeſtaret, non parvo ei adjumento fuerunt, quas ab arte & hiſtoria pictorum ſumpſit, ſimilitudines. Jure igitur meritoque a doctis quibuſdam viris dictum fuit, hos Sermones virtute evidentiae cum epiſtola Horatii ad Piſones aequari conferrique poſſe. Nonnulla quoque praecepta de arte poetica dedit Martellius in eo libello, quem inſcripſit, *Commentario*; in quo etiam ſuis ponderibus examinat, quid laudis, quid vituperationis debeatur celebrioribus Italicis poetis. Fingit enim inter hos fuiſſe controverſiam, utrum Petrarchae an Marinio concedendus eſſet principatus lyricae poeſis, & judicium de hac quaeſtione Apollinem non tam ex ſuo, quam ex prudentum conſilio feciſſe. Plauſerunt eruditi omnes his Martellii operibus. Sed non eamdem nactae ſunt fortunam

illius tragoediae. Quamquam enim hae non paucos, eoſque intelligentes haberent laudatores, non defuere tamen, qui de iiſdem detraxerunt. In his numerabatur Joannes Vincentius Gravina, iſque maxime oppugnabat genus carminis, quo uſus eſt Martellius. Hic vero in iis ſermonibus, quos ſe cum Ariſtotele fingit habuiſſe de veteri & recenti tragoedia, acute reſpondit ad ſingula, quae ſibi opponebantur; quamquam gloriari poterat, haec ſe jam antea occupaſſe in eo, quem memoravimus libello *de verſu tragico*. Ex hoc libello facile intelligi poteſt, quantum illi ſtudii, commentationis ac temporis fuerit, antequam ad ſcribendas tragoedias veniret. Examinat in eodem genus carminis a celebrioribus Italicis tragicis adhibitum, idque ejuſmodi eſſe ait, ut plerumque langueſcat, aut aliquando nimis ſe extollat, quale lyricae poeſi convenit. Quae quidem eo ſpectant, ut probet maxime omnium aptum eſſe tragoediae verſum illum, qui fit, ſi copulentur duo illorum verſuum, quos cum Chiabrera nominat *Giambici dimetri ſcemi*, cujuſque inventorem fuiſſe tradit Ciullum poetam Siculum, qui floruit circiter

ſaeculum tertium & decimum. Sine dubio hoc carminis genus inducit majeſtatem gravitatemque, nec poterit diſplicere iis, qui illi aures aſſuefecerint. Exiſtimarunt aliqui ſimile omnino eſſe Gallorum verſui, qui Alexandrinus dicitur: ſed negat Martellius, erroremque illorum, qui ita putarunt, coarguit. Quod vero ad ſtylum attinet, quo ſcriptae ſunt hae Martellianae tragoediae, ineſt in eo naturalis nitor ac ſplendor, & a longe quaeſitis poeticis ornamentis plurimum diſtans. Haec tamen naturalis bonitas ſaepe deſideratur in collocatione verborum, idque arbitror poetam conſulto feciſſe, propterea quod in ea erat ſententia, debere tragicorum ſtylum ita imitari ſermones veros & familiares Principum, ut in eo aliquid artificii appareat. Perſonae, quas in has tragoedias tranſtulit, ſunt eae quidem grandes, omninoque cum ſenſu tractantur. Novas interdum inducit, & nihil ſcenae committit, quin ſemper memor ſit illius praecepti:

. . . . *Servetur ad imum*

Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Sunt in his ipſis tragoediis multae ad docendum acutae, & ad commovendum graves ſen-

tentiae, eaeque breviter ac commode exprimuntur. Non dubito tamen quin poeta magis tenere oculos multitudinis potuiſſet, ſi in his fabulis minus ingenii atque artis extare voluiſſet, atque non exigeret identidem attentiſſimum animum ad loquentium mentem aſſequendam. Ego de meo ſenſu judico. Errabo fortaſſe, ut certe errarunt adverſarii Martellii, qui praedicabant, ſi hae fabulae peragerentur, neque probabiles, neque tolerabiles unquam futuras propter carminis genus, & illud continuum ſimiliter deſinens. Conſtat enim a celebri actore Aloyſio Riccobonio aliiſque, earum pleraſque in celebrioribus Italiae urbibus maximo cum plauſu populo exhibitas fuiſſe. Inter quas eae, quibus ſunt nomina, *Iphigenia in Tauris* & *Alceſte*, non tantum cum novae darentur, ſed etiam decies repetitae fletum ſpectatoribus moverunt. Poeta vero ut cariſſimam filiam *Siſaram* diligebat, credo quod novitate in primis delectabatur. Sed ad Gravinam revertor. Is quinque tragoedias vulgavit, quas Martellianis opponeret, utque veram earum ſcribendarum viam exemplo monſtraret. Quam bonae, nihil

ad rem. Tales certe ille judicabat, licet trium menſium ſpatio, ſi ei fidem habeamus, conditae fuerint. Sed neſcio quo pacto in poeticis operibus magis, quam in aliis, ſuum cuique pulchrum eſt. Martellius autem quid ſe facere par eſſet intuebatur, non quid Gravina laudaturus foret; ſatiſque opinabatur hoc eſſe defenſionis ac laudis, quod frequentiſſimo theatro, ac magno clamore, cum id aeque gloriari non poſſet Gravina, ſuae tragoediae ſaepe comprobatae fuiſſent. Ad quam gloriam augendam licet is eamdem incudem diem noctemque tunderet, non tamen quidquam detrahebat de cura ac ſedulitate, quas ſolitus erat adhibere in Patriae negotiis procurandis. Aderat in omnibus rebus Aldrovando, & hic ejus conſilio in primis movebatur. Habuit ſane Aldrovandus negotia graviſſima quae tractaret, nec quidquam illorum explicuit, quin tantum tribuerit Martellio, ut cum eo gloriam communicaverit. Multas quoque res Martellius ſine Aldrovando geſſit eo tempore, quo hic valetudinis cauſſa ab Urbe abfuit. Quo tempore cum frequenter adiiſſet S. Pontificem Clementem XI., mirificas ab eo

ſemper tulit voluntatis ſignificationes. Idem Pontifex cum vellet an. MDCCXIII. Pompejum Aldrovandum $\overline{\text{XII}}$virum litibus judicandis ad Galliarum primum, mox ad Hiſpaniarum Reges de ſuis rebus maximis Legatum mittere, a Senatu Bononienſi requiſivit, ut bona ejus cum venia, & ſine detrimento ſtipendiorum, quae de publico aerario pendebantur Martellio, hic ejuſdem Aldrovandi aſſecla, & adjutor eſſet in conſiliis capiendis. Senatus non ſolum Pontificis voluntati morem gerendum cenſuit, ſed etiam Martellio ſtipendia duplicavit. Comitabantur in itinere Aldrovandum duo ſumma nobilitate Praeſules Ovardus, & Aquaviva, ac praeterea Marcus Antonius Ranutius, Ubertinus Landus, aliique non tam genere, quam doctrina clari viri, quorum omnium magnam benevolentiam brevi conſecutus eſt Martellius. Cum vero Pariſios veniſſet, ad amicitiam acceſſit Cardinalium Philippi Gualterii, & Melchioris Polignachii, & in familiaritatem penitus intravit Cornelii Bentivoli, qui tum in eadem civitate Pontificis erat Legatus. Uſus quoque familiariter eſt litteratiſſimis viris Fon-

tenellio, Motta, Regnierio, Hiro, Capiſtronio, Crebillionio, Maleſieuo, Fraguerio, Surinio, & femina horum nemini doctrinae laude ſecunda Dacieria. Cum his Martellius ſaepiſſime ſermones habebat de litteris; cumque aliquando ad tragoedias veniſſent, ille rogatus eſt (nemo enim non norat quantum in hoc poeſis genere valeret) ut ſuam opinionem proferret de ratione Graecos tragoedos imitandi, & praeſertim liceret ne expreſſos ab iis ſuorum temporum mores ad noſtrum uſum transferre. Cumulatiſſime iis quidem ſatisfecit. Id vero occaſio illi fuit conficiendi Dialogos quosdam, in quibus ſuam totam *de veteri & recenti tragoedia* explicaret ſententiam. Hos probatos fuiſſe amicis ejuſdem, id erit indicio, quod eos Pariſiis edendos curaverint. Id moleſte tulit Martellius, qui eoſdem non ſatis ſe perfeciſſe exiſtimabat. In his Dialogis laudat quidem tragicos Graecos, atque ad illos imitandos homines hortatur; inquit tamen perquam diligenter videndum eſse quatenus, quoniam nec vitiis carent, & habent plurima, quae mores hodiernos dedecent, quorum rationem habendam eſſe affirmat. Bene

ac ſapienter eos facere, qui naturam ſibi proponunt tamquam exemplar, quod imitentur, quique rationem magis, quam Ariſtotelica praecepta conſulunt. Explicat in quo praeſertim conſiſtere debeat mirabile tragoediae: pluribus verbis examinat praeceptum de unitate actionis, temporis, & loci, contenditque inter omnes convenire oportere, ut actio una ſit, unum tempus, quanquam hoc longius unius diei ſpatio produci poſſe aſſerat; non aeque tamen convenire neceſſe eſſe, ut omnis locorum varietas a tragoedia abſit, ad quam ſententiam declarandam maxime conducunt, quae de veteri & noſtrati ſcena in medium profert. Docet quid interſit inter Gallos & Italos in iis, quae pertinent ad moderandam ſcenam, ad agendam fabulam, & ad actorum veſtitum; & quae ab utriſque peccantur, libere reprehendit. Videtur quoque arguere tragicos Gallos, quod nimium Amori tribuerint, uſque eo ut actiones graviſſimas & maxime illuſtres effeminaverint; quodque in repraeſentandis factis alienigenarum nationum mores patrios magis, quam illarum ſpectaverint: eadem ferme repetit,

quae alibi ſcripſerat, de verſu tragico, & praecepta quoque tradit de conficiendo melodramate, ut quod ſua natura vitioſum eſt, minus deformitatis habeat. Quamquam vero Martellius intelligentia tragicae poeſis omnes fere anteire videretur, ei tamen libuit, ut quinque recens a ſe factae tragoediae judicium doctorum Gallorum ſubirent, a quibus cum multa objecta fuiſſent, horum pleraque rationum pondere diluit, & ſi quam culpam a ſe commiſſam agnovit, ingenue fateri non dubitavit. Non poterat non libentiſſime Martellius in clariſſima Europae luce, & in doctorum non ſolum, ſed etiam nobilium virorum flore verſari, a quibus omnibus magnis honoribus afficiebatur. Quapropter non faſtidio ejus, in qua erat, urbis, ſed caritate Patriae factum eſſe exiſtimare debemus, quod a Pontifice M. impetraverit, ut in Italiam redire poſſet. Videns enim in longum tempus duci confectionem negotiorum, quae tractanda ſuſceperat Aldrovandus, non ferendum putavit, ut majus detrimentum Patria acciperet in ſolvendis ſibi ſatis amplis operae penſionibus, eo tempore, quo omnino opera ſua carebat. Ita-

que Romam novem circiter poſt menſes, ex quo ab ea diſceſſerat, ad ſuum priſtinum munus rediit; quo ut pervenit S. Pontifex ab eo edoceri voluit, quo in ſtatu eſſent res ſuae Pariſienſes. Cui ſatis quidem fecit Martellius, cum particeps omnium conſiliorum fuiſſet, & horum oratione explicandorum miram facilitatem haberet. Romae cum ſatis otii nactus eſſet, hoc in primis contulit ad emendandum Dialogum *de veteri & recenti tragoedia*, cujus paullo ſupra mentionem fecimus; & ad condendam fabulam piſcatoriam, cui nomen eſt *Adria*, quam quidem omni venuſtate ornavit. Non mediocre quoque tempus poſuit in deſcribenda vita Alexandri Guidii, cui neminem in poeſi ſuperiorem ponebat; & in corrigendis, edendiſque in unum corpus collectis, quas ad eam diem lucubraverat, tragoediis. Earum autem corrigendarum cauſſam in primis attulerunt animadverſiones, quas ejusdem rogatu confecerant docti viri Juſtus Fontaninius, & Vincentius Leonius. Hae tragoediae tribus voluminibus continentur, eaſque nuncupavit Cardinali Hannibali Albanio, cui gratiſſimum fuiſſe munus ex eo poteſt conjici,

quod eodem ſuffragante, maximus natu filiorum Martellii auctus eſt ſatis pingui ſacerdotio. Sine dubio Italica poeſis plurimum debet Martellio, non modo quod eam nobiliſſimis tragoediis locupletaverit, ſed etiam quod exemplo ſuo multos excitaverit ad excolendum hoc poeſis genus longo temporis intervallo in Italia intermiſſum. Hi tamen, ſi perpaucos excipias, quamquam nihil niſi ſumma ratione feciſſe Martellium exiſtimarent, adduci minime potuerunt, ut Martellianum verſum ſequerentur, huic hendecaſyllabum praeferentes. Ex hoc autem intelligi poteſt quantae operae ſit tragoediam condere, quod in tanto poetarum numero, qui his temporibus ad tragicam poeſim ſe applicuerunt, pauci admodum extiterint, qui pluries ingenii periculum facere voluerint. Contra Martellius non contentus tribus voluminibus tragoediarum editis, nunquam deſtitit, quid in hoc poſſet, tentare. Et quidem felici ſemper eventu. Itaque fecit, ut vere dictum de eo eſſe videatur a ſcriptoribus ephemeridum Trevolitienſium: *Peu de nos Tragiques s' egaillent a Monſieur Martelli.* Inter tragoedias, quas poſtremis temporibus ſe-

cit, duae ſunt verſibus hendecaſyllabis ſcriptae, *Helena Caſta*, & *Perſeus in Samothracia*, cujus rei id cauſſae fuiſſe idem faſſus eſt, ut oſtenderet ſe non averſiſſimo animo eſſe a veteri Italorum in ſcribendis tragoediis conſuetudine; addebatque optare ſe (aetas & caſus quidam ne faceret impedivere) eas verſibus Martellianis reddere, quo facilius homines verſum cum verſu comparantes, intelligerent quantum hendecaſyllabus detrahat de naturali ac non fucata illa gravitate, quae ineſſe tragoediae debet. Accidit an. MDCCXVI. ut ardentiori fortaſſe, quam antea, ſtudio Romae ageretur, quae jamdiu torquebat Bononienſes & Ferrarienſes controverſia de reducendo Rheno in Padi alveum. Quod quidem negotium pro ſuo munere ſic procuravit Martellius, ut difficile ſit judicare utrum ei glorioſius, an laborioſius fuerit. Pro his tantis ſuis meritis praeter illam laudis & gloriae, alia quoque merces ei perſoluta eſt a Patria amantiſſima. Nam, decernente Senatu, ſuffectus eſt Jacobo Bergamorio, qui primum locum tenebat inter eos, qui ſunt eidem Senatui a ſecretis. Ad hoc tamen munus ſane

honeſtiſſimum non venit, niſi confecto negotio de aquis, idque fuit menſe Aprilis anno MDCCXVIII. In hoc quoque amor Patriae erga illum ſe oſtendit, quod eodem fermè tempore plurimum auxerit ſtipendium, quod pro munere docendi humaniores litteras ei perſolvebatur; quodque honorem non vulgarem contulerit in ejus natu maximum filium[t]. Hunc enim voluit eſſe ab epiſtolis Camillo Bolognetto, quem Legatum ad Caeſarem graviſſimis de cauſſis legabat. Quamquam nullus dies a negotiis Martellio vacuus eſſet, ſatis tamen ei relinquebatur temporis, quod in ſtudiis ac litteris ſuis conſumeret. Et eo maxime incubuit, ut poema conderet de adventu Caroli Magni in Italiam, ejuſque ad Occidentis imperium adſcenſu[u]. Utinam ad exitum perduxiſſet opus immortale futurum, ut judicium facere licet ex decem & ſex, quos reliquit, libris. Propoſuerat hoc ſibi, ut magna varietate illud condiret, & more inſtitutoque Areoſti modo ludicrum, modo ſublime, modo aequabile & humile pro varia rerum natura adhiberet dicendi genus. Eodem quoque ferme tempore aliud ſcripſit poema, in quo

non Heroam aliquem cecinit, ſed Monachos acriter inter ſe contendentes de hereditate, quae fuerat teſtamento legata cuidam aſino, quem nominatum fingit *Radicone*, ex quo nomen poema invenit. Dividitur hoc trecentum in ὀγδοάδας; verſus vero ſic terminantur, ut extremae uniuſcujuſque ſyllabae octies ſimiliter deſinant, quae quidem res plurimum habet difficultatis, unde factum fortaſſe eſt, ut in hoc poemate cetera inter deſideretur molle quoddam ac libere fluens. Neque ita multo poſt elucubravit Dialogos, quibus tituli ſunt, *il Taſſo, o della vana gloria*; & *il vero Parigino Italiano*, quorum in primo laudes Torquati Taſſi celebrantur, harumque laudum occaſione diſputatur, an ullus ſit in mortuis gloriae ſenſus: in ſecundo vero docte atque erudite oſtenditur, Italos multum praeſtare Gallis architectura, oratoria, atque poetica facultate, cujus rei id cauſſae eſſe dicit, quod hi veterum, ac praeſertim Romanorum aedificiis minime utantur tanquam regula, ad quam ſua aedificia dirigant; quod iidem careant quodam oratorio numero ac modo, cui primas in eloquentia tribuere videtur Cicero;

quodque eorum poeſis non habeat propriam quamdam linguam, qua loquatur, ut certe habet Italica, non ſecus ac Graeca atque Latina. Confecit & quaſdam ſatyras, quibus lepide exagitat fictos oſtentatores doctrinae, & laudum mercatores. Debemus quoque ad ſatyrarum numerum adſcribere fabulas illas, quas nominavit, *il Femia*, & *il Reno Penſile*. Haec inſectatur & exagitat quod propoſuerat Corradus de deducendis per novum alveum Rheni aquis, illa mordet Scipionem Maffaejum, paenas ab eo reticentiae expetens. Hic enim, etiam cum commemorare debuerat celebriores Italos tragicos, nullum unquam fecerat verbum de Martellio, ejuſque tragoediis, quod homini pluſquam ſatis gloriae cupido injurioſum videbatur. Porro haec ſatyra cum non ita occultari potuiſſet, quin ejus exemplar ad manus Maffeii perveniret, fuiſſet magnarum inimicitiarum flabellum, niſi graviſſima auctoritate viri ſeſe opportune in pacificationem interpoſuiſſent; & Martellius quotquot habebat illius exemplaria in ignem conjeciſſet. Quid vero illum impulerit ad hanc ſcribendam ſatyram, quam belle ejus argu-

mentum ex Homeri Odyſſea ſumpſerit ; mutans Homericum Phemium in Phemiam , quid eadem ſatyra in Maffejo, ejuſque ſcriptis reprehendat, quonam modo Martellius ſe geſſerit ante & poſt ortam controverſiam , quid de tota hac re judicaverint, cognoverint, ſtatuerint graves homines, multis verbis perſequitur epiſtola quadam , quam inſcripſit , *della ritirata del Femia* : ſed haec minime typis mandata eſt. Nec non libellum contexuit *de arte rhetorica*, qui omnem fere rationem oratoriam complectitur, & in multis rebus de iis, quae propoſitae ſunt, habet illuſtria exempla ſumpta ex Graecis, Latinis, Italicis, & Gallicis ſcriptoribus. In eo quoque haud pauca admiſta ſunt ex ſacris libris, quos libros Martellius, ut erat religionis cultor eximius, nunquam de manibus deponebat. Idem, ſi vacabat occupationibus patriae urbis, ſolitus erat veſpere frequentare domum Joſephi Comitis, quo conveniebant multi docti viri, maximiſque amicitiae vinculis Martellio conjuncti, Euſtachius Manfredius, Ferdinandus Ghedinius, Joannes Petrus, Hercules & Franciſcus Maria fratres Zanotti, Joſephus Puteus,

Ale-

Alexander Bacchettus, & Paullus Balbus. Neque unquam ſine aliqua lectione conventus hi agebantur, cum fas non putarent homines induſtrii ullum tempus abire, quod non eſſet cum aliqua utilitate conjunctum. Cumque aliquando accidiſſet, ut Demoſthenem lectitarent, cujus ſummam dicendi vim omnes admirabantur, id cupiditatem injiecit Martellio tentandi, an illum imitando aſſequi poſſet in oratione, qua mortem cujuſdam canis dolet. Sed vereor ut exiſtimatores docti & intelligentes ſatis Demoſthenem in hac Martelliana oratione poſſint agnoſcere. Vivebat quidem jucundiſſime Martellius in gremio Patriae, & in ſinu conjugis liberorumque ſuorum, quibus omnia officia ſua praeſtabat. Neque enim minus bonus paterfamilias habitus eſt, quam civis. Cunctis vero ſe completum fuiſſe gaudiis dicebat, cum matrimonio junxiſſet ſuos filios Carolum & Virginiam, illum nobili probaeque feminae Conſtantiae Forniae Mutinenſi, hanc Joſepho Puteo viro humaniſſimo, & non ſolum poetae ſuavi, ſed etiam medico docto. Hi enim filii & propter indulgentiam ejus, & propter illorum excellens ingenium,

animique dotes erant ei vita ſua cariores. Quod tunc maxime oſtendit, cum Virginia, biennio poſtquam nupſiſſet, mortem obivit. Sic enim hunc caſum doluit, ut nullus ſolatio locus relictus eſſe videretur. Nam ab iis artibus, quas nullo unquam tempore non celebraverat, & in quibus ſaepe perfugium rebus adverſis repererat, prorſus ſe disjunxit; hominum conſpectum vitabat; in ejus oculis atque vultu moereor apparebat; quaeque ei integra ac firma ſemper fuerat valetudo, ſic tota perturbata eſt, ut ille non dubitaret, quin ſibi parum vitae ſupereſſet. Febrim habebat lentam, quam ſumma nauſeae moleſtia comitabatur, ſaepe animus & vires eum relinquebant; cumque aliquando a deliquio convaluiſſet, tantam vim ſanguinis ſubito evomuit, ut propius nihil factum fuerit, quam ut ſuffocaretur. Atque hoc prius quam ei accideret, quanquam e febri langueret, ſemel tamen atque iterum ad templum deferri voluit, ut Jeſu Chriſti Corpus ſumeret, qua una re ſolari ſe morbum, miſeriamque ſuam dicebat. Alia quoque plurima dedit hoc extremo tempore pietatis indicia. Nihil niſi Deum,

loquebatur, ſaepe lectorem vocabat, qui ſibi aliquid de ſacris libris, vel etiam de ſuo poemate *Oculorum Jeſu* recitaret, nec unquam mentio fiebat ſummae Dei erga nos caritatis, quin lacrimas profunderet. Miram quoque patientiam prae ſe tulit in ſuſtinendis acerbiſſimis doloribus, quos cepit ex inflammatione inteſtinorum, qua periit. Hac priuſquam tentari inciperet, ex iiſdem inteſtinis magna ſanguinis copia erupit. Morti jam proximus ſuos omnes ad ſe accerſiri juſſit, iiſque ſaluberrima monita atque praecepta reliquit. E vita vero diſceſſit VI. Id. Majas an. MDCCXXVII. Quam carus civitati fuerit, indicatum eſt moerore funeris, quod ſatis amplum ei liberi faciendum curarunt in Aede S. Proculi, quanquam ſe optare oſtendiſſet, ut ſine ulla pompa eo ſepeliretur loco, qui datus eſt ſepulturae mendicorum hominum. In monumento, quod illi poſitum eſt in eadem Aede, haec inſcripſit Euſtachius Manfredius, ut ſatis non modo voluntati eorumdem liberorum, quam ſuae conjunctioni atque amori erga illam cariſſimam animam faceret.

Digitized by Google

PETRO JACOBO MARTELLIO
PHIL. DOCT. HUM. LITTER. PROF. PUBL.
SENATUI A SECRETIS
QUI
OB ANIMI CANDOREM MORUM
SUAVITATEM
INGENII CULTUM
ATQUE ELEGANTIAM
TANTAM APUD OMNES GRATIAM
EST ASSECUTUS
QUANTAM
UNIVERSAE CIVITATIS LUCTUS DECLARAT
FILII MOERENTES PP.
VIXIT ANNOS LXII. DIES X.
OBIIT VI. ID. MAJ.
MDCCXXVII.

Quae hic praedicantur morum ſuavitas & animi candor in Martellio eminebant in primis; omninoque ita natura comparatus erat, ut nihil ferre poſſet veteratorium ac fictum niſi in ſcena. Cum ſuis nunquam in ſimultate fuit. In eos quos aut aetas, aut ſapientia, aut honos, aut aliqua dignitas commendabat,

Digitized by Google

fuit obſervantiſſimus. Quos ſemel in amicitiam receperat, nunquam ab ſe dimittebat; & in amicorum procurandis negotiis tanta erat cura, ut non alienam, ſed ſuam rem videretur agere. Adoleſcens multis ſenibus fuit jucundiſſimus, ſenex adoleſcentibus; cum aequalibus vero ſuis ſic vixit, ut difficile ſit judicare, cui aetati fuerit aptiſſimus. Ad hanc hominum benevolentiam ei conciliandam non dubito plurimum valuiſſe praeter eximias ejusdem animi virtutes, magnam corporis pulchritudinem, leporem ac feſtivitatem orationis, quibus indulgebat praeſertim in congreſſionibus familiarium. Qui porro ejus habitus fuerit ex hoc carmine cognoſci poterit, quo Euſtachius Manfredius illius imaginem lepide expreſſit.

Agil gamba, agil fianco, agile imbuſto,
Buon color, fronte aperta, occhio amoroſo;
Sottile il labbro un ſotto l' altro aſcoſo,
Naſo lungo, aquilin, fra'l grande e il giuſto;
Venerabile il tergo, il paſſo onuſto;
Alta la teſta, il portamento arioſo;
Parlar ſoave ed atteggiar vezzoſo,
Franzeſe l' aria, e Spagnoletto il fuſto:

Un converſar giocondo, un naturale
Affaccendato diſinvoltamente,
Di grand' impegno, e di ripiego eguale;
E' il carattere in volto di una mente
Piena d'alti penſier, fra quai prevale
La gran tranquillità del non far niente.

Amantiſſimus ſuorum ſcriptorum fuit; & cum omnis vituperatio ei erat moleſta, tum illa multo moleſtiſſima, quae tribuebatur verſui, quo uſus eſt ad ſcribendas tragoedias. Quare minime eſt mirandum, ſi omnia ſumma ab eo ſibi polliceri poterant, qui ejus eſſent in hac re exemplum ſecuti. Facile tamen ei fuiſſet omnem reprehenſionem vitare, cum nemo illo magis viderit, quae ſuis ſcriptis objici poterant. Itaque, ſi qua ſunt vitia in Martellianis ſcriptis, fortaſſe in illum apte quadrare videtur, quod de Ovidio dixit M. Annaeus Seneca: *Non ignoravit vitia ſua, ſed amavit.* *

* Controv. lib. II. cont. X.

OPERA EDITA.

Laelius a Vulpe typis ſuis ſane nitidis an. 1729. vulgavit ſeptem volumina in 8., ut dicitur, magno, operum Petri Jacobi Martellii. Nos prius ordine recenſebimus opera, quae his voluminibus continentur, poſtea enumerabimus ea, quae ſunt quidem edita, ſed locum minime habuerunt in ſeptem memoratis voluminibus.

Tom. I. *Dialogo della Tragedia antica e moderna, o ſia l' Impoſtore.*

Tom. II. *Teatro Italiano. Parte I.: Trattato del Verſo Tragico: La Perſelide: Il Procolo: L' Ifigenia in Tauris: La Rachele: L' Alceſte: Il Gesù perduto: La morte di Nerone.*

Tom. III. *Parte II. del Teatro Italiano: Marco Tullio Cicerone: L' Edipo Coloneo: Il Siſara: L' Adria: Il Q. Fabio: I Taimingi.*

Tom. IV. *Seguito del Teatro Italiano. Par. I. L' Arianna: Il Catone tratto dall' Ingleſe dell' Adiſſon: Che bei Pazzi: Il David in Corte: L' Elena Caſta: L' Edipo Tiranno.*

Tom. V. *Seguito del Teatro Italiano. Par. ultima: La Morte: Il Perſeo in Samotracia: Il Piato del H.: A Re malvagio Conſiglier peggiore: La Rima vendicata: Lo Starnuto di Ercole.*

—— *Il vero Parigino Italiano. Dialogo.*

—— *Del Volo. Dialogo.*

—— *Dedica al Senato di Bologna de' tre volumi del Teatro Italiano.* In hac epiſtola rationem Martellius reddit,

quare haec volumina inſcripſerit: *Il Teatro*; *perchè*, inquit ille, *contengono tutte le ſorte antiche e moderne dei Drammi in qualunque modo atti a rappreſentarſi, cioè la Ditirambica, la Tragedia, la Commedia Eroica, la Popolana, la Tragicommedia, la Farſa, la Satirica, la Paſtorale, la Marittima, e la Rappreſentazione*.

Tom. VI. *Verſi e Proſe. Part. I.*

—— *Degli Occhi di Gesù. Poema.*

—— *Il Taſſo, o della vana gloria. Dialogo.*

—— *Morte di Pò Cane Mormuſſe. Orazione.*

—— *Sermoni Della Poetica.*

Tom. VII. *Verſi e Proſe. Parte II.*

—— *Il Commentario.*

—— *Il Canzoniere.*

—— *L' Euripide Lacerato.*

—— *Il Fior d' Agatone.*

Hactenus Martellii opera impreſſa a Laelio a Vulpe.

Ragionamento di Mirtilo Dianidio (ſic Arcades Martellium appellabant) *intorno allo ſtato degli Arcadi dell' anno 1710. fatto in adunanza nel Boſco Parraſio*: Extat in eo libro, cui titulus: *Raccolta di Proſe Paſtorali recitate in diverſi tempi nell' adunanza degli Arcadi in Roma. Roma nella Stam. de' Roſſi 1762. in 8.*

Vita d' Aleſſandro Guidi. Edita eſt in tertio volumine *delle Vite degli Arcadi illuſtri* impreſſo Romae 1714. in 4. apud Antonium de Rubeis.

Il Secretario Cliternate al Baron di Corvavara, di Satire libro. Coſmopoli al Griſo.

Lettera all' Abate Antonio Conti ſulla di lui Tragedia il Ceſare. Edita eſt cum hac tragoedia Faventiae an. 1626.

Lettere famigliari. Editae ſunt in eo libro, qui inſcribi-

tur: *Delle lettere famigliari d' alcuni Bologneſi.*

Il Reno Penſile Favola Peſcatoria. Lucca 1761.

Radicone Romanzo. Canti III. in 12.

Il Femia Sentenziato Favola di meſſer Stucco a Meſſer Cambrighe. In Cagliari preſſo Franceſco Anſelmo l' anno del Signore 1724.

La Verſaglie Poemetto.

Il Nino, e

Gli Amici; Drammi. Tria haec poſtrema opuſcula nunquam mihi videre contigit. Extare tamen mihi affirmatur. Non eſt tacendum quoſdam putare ſcripſiſſe Martellium Carmina, quae in Gobbiana collectione Thereſiae Zanae tribuentur. De Martellio certe loquitur carmen, cujus initium eſt: *Di quattro luſtri &c.*

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

HIERONYMO FERRIO

S. P. D.

QUis eſt tanta aſperitate atque immanitate naturae, cui perſpicua non ſint commoda utilitateſque, quae ex hominum ſocietate percipiuntur, & hoc proprium maxime eſſe virtutis, uti moderate & ſcienter hominibus, eorumque ſtudia ſibi conciliare? Quibus autem rationibus hanc facultatem aſſequi poſſimus, uſus magis & experientia quam Sapientum praecepta nos docebunt. Sed ea non pariter omnes egemus. Vir certe mathematicus ſuis contentus inventis, hominum congreſſus non ſolum non requiret, ſed etiam effugiet, quod hos ſua ſtudia nihil aut parum adjuvare putabit. At vero poeta ceterique humaniorum litterarum cultores tam abeſt ut ſolitudine alantur, ut maxime neceſſarium judicent familiaritates habere fidas amicorum, qui ſe ſuaque admirentur, & ad quos, tanquam adminiculum, annitantur. In mentem revocant magnas utilitates, quas celebriores Scriptores

ex ſuorum ſimilium frequentia ſe adeptos eſſe narrant; neminem tanta ingenii magnitudine praeditum eſſe merito affirmant, qui animorum motus affectioneſque pernoſcere atque tractare, hominumque mores pingere valeat, qui diu & multum cum iiſdem non ſit verſatus; comparant quoque genus dictionis dulce, urbanum, venuſtum eorum, qui convictione delectantur, cum ſolivaga doctrina & jejuna μισάνθρωπον, *quibus cum auferat fructum voluptatum omnium ſolitudo, neceſſe eſt illos quotidie magis evadere horridiores, aſperiores, duriores & oratione & moribus. Adde quod cum aemulatio, invidia, tanquam umbra, homines manſuetioribus muſis deditos comitetur, ii laborare debent non tam ut laudatores, quam propugnatores ac prope patronos ſibi comparent. Erat in ea ſententia ille tragoedorum Gallorum princeps Cornelius neminem magnum virum eſſe poſſe, qui optimatum tecta frequentaret, ſed cum multis vexatus contumeliis, multis jactatus injuriis fuiſſet, tum ſe denique erraſſe ſenſit, quod eos contempſiſſet, quorum patrociniis defendi potuiſſet. Sapientius ſe geſſit illius aemulus Racinius, qui in amicis & deligendis & colendis plurimum diligentiae adhibuit: tantum vero tribuit hominum ſocietati,*

ut ex hac potiſſimum ſuae artis praecepta, & molle illud & tenerum ac moratum, quo tantopere floruit, ſcribendi genus ſe hauſiſſe affirmaverit. Ajebat etiam ſuas aures ſemper patuiſſe monitis & praeceptis omnium, vehementerque ſe probare conſilium eorum, qui, antequam ſua ſcripta emittant, recitant in amicorum corona. Sic enim ea, de quibus dubitant, quaſi de conſilii ſententia ſtatuere poſſunt; multa etiam a multis admonentur, & ſi non admoneantur, quod quiſque ſentiat, perſpicient ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure ac ſilentio, quibus notis ſatis aperte judicium ab humanitate diſcernitur. Sunt quidem nonnulli, qui veritatem aſpernantur, & in errorem obſequio impelluntur; alii moneri haud moleſte ferunt, quamvis fiat acerbe; alii demum verum ſić ab amicis requirunt, ut eos ſaepe velint eſſe indulgentes; & in eligendis judicibus eos praeferre videntur, qui opinionem quidem aliquam habent doctrinae aequitatiſque, ſed quorum intelligentia non per omnia permeat, & qui judicio pondus addunt fama, dignitatibus, honoribus. Profecto non ita Dii irati ſunt bonis artibus, ut nullos inter Principes ac rempublicam gubernantes eſſe velint, qui ſtudium in doctrina & ſapientia collocent, & qui litterarum litteratorumque cauſſam ſu-

ſtineant: ſunt tamen pauci, quorum nomini nulla caliginem aetas offundet, nulla gloriam tempora minuent, nulla memoriam delebit oblivio. Domeſtica libentius in tali re, quam externa exempla recordor: ad illos autem ſi quis aditum requirat, ut in eorum animos tanquam influere poſſit, non is reprehendendus eſt, quod & ſibi & aliis plurimum prodeſſe poterit, quodque admiratione & honore ii praeſertim digni ſunt putandi, qui ceteros non tam dignitate & fortuna, quam beneficentia & liberalitate anteire ſtudent. Sunt nonnulli, & ii non pauci, qui ſaepe in ore habent hominem philoſophum venerari debere Principes, interdum illos aeſtimare, fugere ſemper, quod ſub ſordido palliolo magis ſplendeſcat Sapientia, quam in Regum turribus; verum ſi iis ſpem aliquam, aut praemium aliquod ſingulare propoſueris, eos ſtatim videbis vehementer expetere quod ſe paullo antea contemnere & pro nihilo ducere ſimulaverant. Haec non eo dico, mi amiciſſime Ferri, ut viliſſimo ſervitio, aſſentatione ac blanditiis litterarum majeſtatem minuendam arbitrer, ſed ut conſilio fideli & prudenti ſtudioſos juvemus, utque propulſemus injuriam a Franciſco Algarotto, qui nimium inſumpſiſſe temporis viſus eſt in elegantiorum non he-

minum ſolum, ſed & feminarum domo frequentanda, & in potentiorum amicitiis expetendis atque colendis. Reſtat ut de ejus vita pauca dicamus. Hanc Farſetius Hieroſolymitanus Eques a Laſteſio ſcribendam curavit, quo rem gratum faceret amico ſuo Homobono Algarotto Franciſci fratri, a quo etiam quidquid eſſet fraternis in ſcriniis monumentorum ad eam rem facile impetrarat. Interea dum opus urget Scriptor Latinus, Micheleſius homo elegantis & ſagacis ingenii in amicitiam ſibi adjungit divitem argentarium. Conſtituunt inter ſe de ſcribenda Italico ſermone Franciſci vita, quam ipſe proinde Micheleſius ad Boruſſorum Regem afferret. Repetit a Farſetio Algarottus monumenta, conſilium diſſimulat. Non multo poſt Farſetius fratri fatris vitam dono mittit; exemplaria, quae is in vulgus ederet, tradit omnia. Indignari argentarius, ſeu quod eſſet Latine ſcripta, ſeu quod tenuiculum libellum neque dignum fratre, neque Rege putaret, ſive denique quod commentarios Micheleſianos temere praevertiſſet. Itaque detrudere prope in carcerem innoxium opuſculum, cavere ne quis reſciret, non oculis cujuſquam, non auribus indulgere, erga Equitem officioſiſſimum haud hercle officioſus. At Farſetius ferre in-

juriam moderate, rem premere ſilentio, munuſculum ſuum igne abſumptum, an tineis relictum nihil penſi habere. Evaſit tamen clanculum exemplar e cuſtodia, quod forte ad nos delatum luce, qua caruit nimis diu, donandum judicavimus, a te profecto gratiam aliquam inituri, qui pro ſumma tua in Algarottum conjunctione ſaepe nos cohortatus es ad prodendam poſteris illius memoriam. Cura ut valeas.

Piſis Kal. Dec. MDCCLXXVIII.

Digitized by Google

FRANCISCUS ALGAROTTUS.

PAuca fert animus ſcitu digna de Franciſco Algarotto Rochi filio tradere memoriae litterarum; quod quorum nomina ingenii atque honorum monumentis ſunt immortalitati commendata, eorum vita quae fuerit, cupide cognoſcimus. Natus eſt Venetiis anno MDCCXII. III. Id Decembris, ex ea familia, quae ad ceteras copias fortunae non unas patricii ordinis neceſſitudines adjungeret. Hinc de puero, ut ingenuum deceret, inſtituendo mature coeptum cogitari; quem pater annos natum ferme tredecim cum Romam miſſum Collegio Nazareno in diſciplinam tradidiſſet, mutata mox voluntate non ſine quadam fortaſſe praeſenſione naturae ad ſe revocavit. Namque illum e dulciſſimi filii complexu haud ita multo poſt mors diſtraxit, ac totum illud domeſticae inſtitutionis conſilium evertit. In eo luctu Homobonus Franciſci frater major natu, ut ſtudiis adoleſcentuli, ſum-

mae

ſmae praeſertim indolis, conſuleret, nulla interjecta mora Bononiam dimittendum putavit: qua in re non fraterna modo caritas, ſed acerrimum viri judicium eluxit. Nam optimo ſtatim magiſtro utendum ratus, quod pauci adeo faciunt opulentiores, ab Euſtachio Manfredo in eo tum Gymnaſio facile principe, id ut onus ſuſciperet, impetravit. Is captus ingenio adoleſcentis, quem modeſtia, quem morum ſuavitas, quem egregia praeterea forma commendaret, ad geometriae ſtudium, veluti graviorum diſciplinarum tirocinium, manu duxit; cumque incredibilem diſcendi ardorem ac mentis aciem deprehendiſſet, ut in ipſa ejus ſcientiae penetralia cito pervaderet, Franciſcum Zanottum, lumen alterum Bononienſis Gymnaſii facile incendit, ut ſtrenuum diſcipulum in ſpatia deduceret philoſophiae. Hoc primum ad eruditionem ac laudem omen fuit, ut duo praeſtantiſſimi viri iidemque amiciſſimi in eo excolendo certarent. Hos ille cum audiret non modo in Gymnaſio, ſed etiam in convictu familiari, qui docendi diſcendique copiam quotidie faceret, phyſicis ac mathematicis ſtudiis eſt imbutus:

ex quo ſingularis utriuſque in illum benevolentia eſt conſecuta, ut non Socrati Alcibiades fuerit carior; cum quidem eos coleret parentum loco, neque a latere uſquam diſcederet. Atque haec optimorum ſenum, quamdiu uterque vixit, viguit deinde per litteras cum amantiſſimo diſcipulo conſuetudo. Illud etiam cecidit percommode, ut Euſtachius Zanottus Franciſci fratris filius, praeſtanti & ipſe ingenio adoleſcens, in eodem ſtadio tum ſe exerceret: quod & ad amicitiam valuit, & ad aemulationem inter aequales. Itaque modo phyſicis una adeſſe Beccarii experimentis, modo Zanotti ſenis auditores in algebrae calculis haerere, modo Manfredo duce dare operam aſtronomiae. Haec enim Algarotto fuit in deliciis, ut Bononia etiam relicta, quidquid obſervatum eſſet e ſpecula, certior deinde fieri voluerit; tantique eſt habitus, ut Clerautius & Maupertuiſius, cum ad Svecos veniſſent, aliquid ut ſtatuerent de terrae figura, eo ſocio & comite aegre caruerint. Sed illud cum Zanotto condiſcipulo praeclarum viſum eſt ingenii certamen, cum quae in re phyſica magiſtri quaerenda propoſuiſſent,

contrariis ea ſententiis more Academicorum ſcribendo pertractarent. Nam a veteri illa ac prope inſana diſputantium aggreſſione & concertatione fuit Algarottus alienus jam tum ab adoleſcentia, cum pudore ſuo, tum judicii gravitate, quod ineſſet ſcriptis & dignitas major & maturitas. Jamque ab umbratili velitatione quam primum in arenam pugnamque deſcendit. Nam cum Newtoni in phyſicis ſe diſcipulum profiteretur, totamque ejus optices rationem Franciſci Zanotti explanatione eſſet aſſecutus, minime tulit Britanno philoſopho a Rizzetto obtrectari, ac ſingula quaeque a Newtono prodita de luminis ratione in hominum doctiſſimorum corona iterum ac ſaepius experiundo demonſtravit. Quo factum eſt, ut, quamvis eſſet Bononienſibus ſatis notus, tamen Veneti nomen adoleſcentis clareſceret in dies; Bononia praeſertim animis ſententiiſque diſtracta in ea tum novitate doctrinae. Atque haec illum diu cura tenuit; cumque eadem Venetiis experimenta animi cauſſa & amicorum rogatu inſtauraſſet, ſcriptis quoque adverſarium aggreſſus ejuſmodi acroaſim habuit in Bononienſi Aca-

demia, ut omnium acclamatione in eum coe-tum fuerit cooptatus, eamque lucubrationem Derhamus dignam judicarit, quam Londinenſi mitteret Academiae. Itaque hoc illi datum laudi fuit, quod optice illa e Britannia cito Italiam totam pervaſerit. Neque eo ſegnius interea politioribus litteris animum adjecit, earum ut elegantiam atque eruditionem, quod ſummis datum eſt duntaxat ingeniis, cum philoſophiae gravitate conjungeret: ad quae illum humaniſſima ſtudia natura primum cum finxiſſet, Zanotti & Manfredi voce atque induſtria deinde eſt perpolitus. His magiſtris in Latina, Italica, Graecaque lingna diu verſatus, ut ſitim expleret Graecae orationis, Florentiam ad Riccium, tum ad Lazarinum Patavium venit; brevique effecit, ejuſmodi ut diſcipulum Patavinum Gymnaſium Bononienſi invideret. Linguarum tot praeſidiis inſtructus poeſim praecipue impenſius coluit, quam & ratio aetatis, & amoeniſſimi ingenii foecunditas, & laus aluit Bononienſium, qui carmina lyrici generis Italica (nam perraro luſit Latinis) eo inſcio in lucem ediderint. Eam vero animi remiſſionem retinuit in omni

vita, cum quidem ſtylum ab amorum levitate ad graviſſima quaeque argumenta convertiſſet. Extant quae egregius poeta modo ad amicos, modo ad viros Principes ſcripſit; in quibus eminet Homeri, Virgilii, Horatii & optimi cujuſque Italorum minime ſervilis imitatio, quos ille verſans diu noctuque in ſuccum & ſanguinem converterat: quod vel e criticis in Carum Virgilii interpretem animadverſionibus potuit intelligi. Jam pro communi artium imitatricium quodam vinculo & cognatione cum facultate poetica, ceteriſque ſtudiis humanitatis, architecturam etiam attigit & picturam, quas parenti & patruo ſuo jucundas meminiſſet; quarum alteri geometria, alteri anatome praeſto fuit: praeſertim cum optima utriuſque artificii & praecepta & exempla eadem Bononia ſuppeditaret; ut mirum ſane fuerit ſex omnino annis (nam tamdiu ea in urbe eſt commoratus) tam multiplici doctrinae ſupellectili inſtructum fuiſſe. Sed ille, qua erat ingenii vi, & gloriae cupiditate, nullum a ſe genus eruditionis alienum putavit. Igitur cum Romam demigraſſet, licuit animo indulgere, magnifica antiquitatis aedificia con-

Digitized by Google

templari, pulcherrimas quaſque formas mente complecti, quas non modo ex Æde Agrippae, e Foro Trajani, ſed ex ipſis Fortunae Praeneſtinae ruinis per diligentiſſimos pingendi artifices adamuſſim exprimendas curaret. Quae quidem praeſtantium operum perquiſitio & deſcriptio vitae fuit aequalis; eaque in re tum Burlingtono eſt uſus magiſtro, tum Maurum Teſium peritiſſimum delineandi artificem ſocium atque adjutorem adſcivit; cujus manu Ariminenſem pontem, Joviſque Serapidis Templum deſcriptum accepimus. Hinc omnem tenuit architecturae rationem, ut Vicetiae Palladii mentem in Theatro Olympico eruditiſſimis oculis ferme unus ſit aſſecutus, Polaque detulerit praeclarum ſtillicidii fragmentum, & Capitolio donarit. Quanquam exquiſitum Algarotti ea in arte judicium commentariolum ſatis commendat de architectura civili. At vero alterum de pictura ad Londinenſem Academiam ſupra ipſos prope extulit pingendi magiſtros. Nam Bononiae primum Guidum, Guercinum, Caraccios, tum Romae Raphaelem, Bonarrotum, Julium ſibi maxime propoſuit, quorum diu in tabulis oculos men-

temque defigeret. Accedebant marmorea ſigna, illa Graeci operis miracula, quo tanquam e ludo ſummi quique pictores extitiſſent. Ea incenſus cupiditate totum Latium finitimaſque regiones peragravit: neque ulla uſquam fuit paullo elegantior tabula, quam non ſedulo inviſeret, atque luculentiſſimis epiſtolis amicorum oculis deinde ſubjiceret. Si quid poſtea in eo ſtudio reliqui fuit pro vario artificum ingenio, id Parmae, Florentiae, Venetiis in Corregio, de Sarto, Titiano, Tintoretto, Paullo facile eſt aſſecutus; nihil ut omnino defuerit ad cognitionem numeris omnibus abſolutam. Interim dum Romae haec agitat, ne philoſophicis quidem curis caruit; opuſculumque de Newtoni doctrina, quod jam tum in illo Bononienſi ardore erat meditatus, inchoandum putavit. Sed aliud quoddam theatrum, in quo philoſophum ageret, ſibi propoſuerat. Itaque non opum modo, ſed liberalium diſciplinarum & artium munitus praeſidio Lutetiam Pariſiorum venit. Hic Gallicis litteris, quas Bononiae deguſtaverat, totum ſe dedit, ut perbrevi tempore ne peregrinus quidem videretur. Eleganti adoleſcens

ingenio cultuque ad omnem urbanitatem compoſitus aditus faciles habuit ad hominum litteratorum congreſſus & conſuetudines. Sermo fere de Newtono injectus de induſtria, quo ſententias exploraret. Maupertuiſium praecipue coluit & Fontenellum, quos cepit egregia indoles, & omnigenae doctrinae copia. His aperire quid moliretur, hos conſulere & ſciſcitari: ſaepe etiam commentandi cauſſa Maupertuiſium ſecutus atque imitatus in Valerianum ſecedere; magna ut eſſet admiratio juvenem id aetatis (nam annum alterum a viceſimo vix attigerat) regiae urbis illecebris anteferre litterarium otium ac ſolitudinem. Interea cum Volterum audiſſet Newtoni haerentem veſtigiis neſcio quid meditari atque elucubrari, ad eum ſtatim venit, qui admiratione perculſus Itali adoleſcentis laudibus extulit, & ad opus Newtonianum perficiendum edendumque eſt adhortatus. Qua voce incenſus non dubitavit quamdam primum excurſionem facere in Dufayum Newtoni adverſarium, tum opus, quod Newtonianiſmum inſcripſit, ac Fontenello dicavit, in lucem emittere. Tum vero Algarotti nomen, & opuſculi unius

fama totam Europam longe lateque pervaſit. Mirari philoſophi res tam ſubtiles ac retruſas tanta venuſtate dialogi, tanto Italicae orationis nitore, ſtyloque tam facili, ut videretur prope ludere, ad feminea quoque ingenia accomodari: litterariae paſſim ephemerides perhonorificis ſententiis judicium ferre: typographi vero, qui praeſertim in Italia iterum ac ſaepius certatim recuderent, incitatis omnium ſtudiis aegre ſatisfacere. In tanta libelli celebritate illud accidit perincommode, ut in Gallicam linguam verteretur pingui Minerva, nec ſatis integra ſententiarum fide; quod illi ad eximiam vulgo laudem Lutetiae impedimento fuit: niſi forte Gallorum hoc moribus tribuas aliena parce laudantium; quo vitio caret ſtulte in illos prodiga interdum Italia. Ceterum Volteri, Fontenellii, Mopertuiſii ſolari ſe potuit aequiſſimo judicio. At ne ceteri quidem interpretes, Britanni, Ruſſi, Teutonici, Luſitani in ſuam quiſque linguam felicius converterunt, quod ille quidem moleſte tulit: ſed laus tamen fuit praeſtantiſſimi operis, quod a tot tamque diſſitis nationibus expetitum, neque aliena ma-

nu fuerit niſi leviter adumbratum. Nec defuere in Italia, Bononiae praeſertim, ex amicorum numero, qui ſuos naevos deprehenderent, quod Etruſcae orationis nativo candori quaedam videretur peregrinitas infuſa: Roma vero nonnulla etiam paullo ſcripta licentius cenſoria virga notavit. Sed utrumque paucis poſt annis, fieret ut Romanis & Bononienſibus ſatis, ab eo emendatum. Jam e Gallia in Britanniam, quo jamdiu ſpectabat, progreſſus Londinum appulit; cujus libertate urbis natus & ipſe in libera civitate mirifice eſt delectatus. Exceptus eſt peramanter atque honorifice, uti decuit diſcipulum ac vindicem Newtoni: cujus filia paternum πρίσμα ei donavit, ut aliquid e magiſtri hereditate decerperet. Hic ea lingua, cujus elementa in Italia didicerat, uſus jam familiarius, quod eſſe in honore apud doctos jamdiu coepiſſet, cum viris feminiſque eruditione praeſtantibus jucunde vivebat, praecipue cum Folkeſio, quem Romae noverat, quo auctore ac judice Regiae Societati fuit adſcriptus. Tandem aegre paſſus ab ea ſe divelli civitate, auctus laudibus doctrinaeque mercibus peregrinis in Italiam

revertitur. Sed anguſtis illius finibus non potuit diu contineri magno vir animo atque ingenio. Nihil deinceps tam varium fuit, quam ejus vita, ſtudia, ſcripta, peregrinationes. Cupido inceſſit Germanici itineris: Saxoniam inviſit fauſto omine reliquae fortunae: perelegantibus ſtatuarum formis ad opus murrinum inventis, picturaeque exquiſita peritia Auguſto III. Pannoniae Regi ſe commendavit; a quo datum id negotii, ut Dreſdenſe muſaeum ſummorum artificum tabulis locupletaret, quae redeundi ſaepius in Italiam cauſſa fuit. Hic praeclara quaeque ejus generis, ubi ubi deliteſcerent, modo eſſent venalia, prece & pretio extorquebat. Veteres tamen tabulas cum avide conquireret, novas non neglexit; Venctorumque artificum principes ſaepe exercuit, quos etiam, ſi quid peccarent, monendo docendoque emendavit. Tum alios non modo ex Italia, ſed e reliquis etiam Provinciis, quaſi inſtituto cum noſtris certamine, ad opus evocabat. Nemo enim erat magni nominis, quem non noſſet, ſibique ſtudiis & officiis conjunxiſſet, quo factum eſt ut una cum Regis muſaeo domum ſuam ornaret;

quae nunc Homoboni etiam fratris cura ejuſmodi copiis redundat. Quare cum in Germania Algarotti fama percrebuiſſet, Dreſdam reverſus, Regique carus, cum apud pleroſque paſſim proceres gratia valuit, tum Federicum Boruſſorum Regis filium ingenii elegantia, aetatis ſtudiorumque ſimilitudine ſibi mirifice conciliavit; eique non minus atque Auguſto Regi apud Italos, Gallos, Britannos uſui fuit. Nam Pariſienſi ac Britannico itinere ſuſcepto, eas iterum regiones voluptatis atque eruditionis cauſſa peragravit, nihil ut eſſet dignum cognitu, quod non inviſeret, nemo doctrinae fama praeſtans, quem non adiret, nulla prope Principum aula, ad quam aditus non pateret; Londini praeſertim, ubi Regina philoſophiae dedita ſtudiis, ejus conſuetudine & alloquio fruebatur. Inde digreſſus Ruſſiam perluſtravit, mores, leges, monumenta retulit in adverſaria. Hoc enim illi familiare, ut peregrinationum, quas aſſidua commentatio ſequebatur, fructus extaret. Interim accidit, ut Federicus Princeps regnum capeſſeret, & Algarottum, quem, datis ſaepe inBrita nniam litteris, amici loco jamdiu haberet, ad ſe hu-

maniſſime invitaret, ad quem cum veniſſet; in ipſa incidit regni auſpicia, eoque honore eſt affectus, quo primum die regio capiti corona impoſita, ut ejus lateri haereret, & aurum argentumque miſſile jaceret multitudini, quicum familiarius cum verſaretur, non modo aptum ſe litteris, ſed rebus agendis paratum oſtendit. Quapropter ad Regem Sardiniae profectus cum mandatis reviſit Italiam; Venetis ac Bononienſibus optatiſſimus; Auguſtae Taurinorum habitus honorifice; Parmae a Philippo Duce expetitus, hoſpitioque ita exceptus, ut aliis ad Parmenſia, aliis ad Hiſpana miniſteria videretur deſignatus: ſed alio ſua illum fortuna avocabat. Nam cum Saxoni operam diu navaſſet, eſſetque a ſecretioribus belli conſiliis (nam militaris quoque ſcientiae ſpecimen dederat) nullum interea officii genus cum magnanimo Boruſſorum Rege intermiſit, qui uſque ab adoleſcentia primo illo congreſſu captus amore incredibili ſuaviſſimi illius cycni (ſic enim appellabat) in titulos Dresdenſes & militaria molimina amice jocatus ad ſe accivit humaniſſimis litteris, atque adeo verſibus facetiſſimis; & quanquam alia quaedam

pectare videretur, litterario otio frui juſſit; Comitem ita dixit, id ut eſſet perpetuum Familiae decus, tum Coſmetam ſuum, atque Equitem pronunciavit. Atque haec tanta decora genus omne regiae liberalitatis eſt conſecutum; cum ſua ſtudia, ſui ingenii foetus, & conſilia de Berolinenſi Academia, cui eſſet Algarottus adſcriptus, cum eodem communicaret. Quare & ſine aemulorum invidia eſt in aula verſatus, & ſine ulla libertatis jactura. Nam & cum bellum ingruit abeſſe licuit, & cum fuit conſulendum valetudini; eo enim ad extremum res evaſit, ut gracilis corporis habitudo tot vigiliis, tantaeque totius vitae contentioni eſſet nequaquam par. Incredibile dictu eſt quam multa, quam varia ſcripſerit de phyſica, de aſtronomia, de facultate mentis humanae, de pictura, de muſica, de theatris emendandis, de commerciis, de re militari, praeter epiſtolas omni eruditionis copia refertas, ut ratio temporis minime conſtet. Haec ille, atque alia de Carteſio, de Regibus Romanis, de Triumviris, de Ruſſiae metallis, de Peruvianis etiam populis gravia argumenta rei poeticae ſuavitate temperabat: in

qua tamen tantum abfuit a levitate, ut graviſſime ſit queſtus aliena ſe audacia in ſuſpicionem nequiſſimi in Dantem foederis veniſſe. Sed nihil in magnis valetudinis incommodis moleſtius tulit, quam quod non licuerit Sileſiani belli hiſtoriam conſcribere; quam comparatis oppugnationum praeliorumque deſcriptionibus meditabatur, quo immortali Regi Federico gratiam referret. Igitur Venetiis primum, deinde Bononiae, conquiſitis fruſtra remediis, tandem Piſas ad caelum aliquanto ſalubrius ſe recepit; ubi neque alloquia amicorum, nec advenarum officia, neque crebrae plenaeque ſollicitudinis ab amiciſſimo Rege litterae defuere. Ad haec morbi ſolatia, cum tabeſceret in dies, muſicen etiam adhibuit, donec animus, quo uno diu regebatur, anno MDCCLXIV. V. Non. Maii ſumma tranquillitate & conſtantia, ſolutis corporis vinculis, evolavit. Vir omnino dignus immortalitate cum ingenii magnitudine, tum humanitatis ac probitatis exemplo ſingulari. Egregia in Mariam Meratam parentem ſuam pietas, in fratrem caritas, in omnes fides. Nam de ſumma religione quid ſentiret tum eſt profeſſus, cum

Romam ſcripſit ad Scarſellium quaedam ſe commentari in inſanientem illorum ſapientiam, qui invicto ſe jactarent animi robore, doctrinaeque commendationem ab impietate ducendam exſtimarent. Ceterum alienus a nugis rixiſque litterariis nemini invidit unquam, nemini obtrectavit, qua vultus animique modeſtia primum in lucem prodiit, eamdem, cum floreret doctiſſimorum hominum, ac Principum per Europam amicitiis, perpetuo retinuit, comis & officioſus in omnes, verax, ingenuus, ſine fuco: fraterni animi in amicos, quorum aut gloriae ſtudebat, aut utilitati; ac ſi qui rei familiaris inopia premerentur, in eos liberalis: quae hominis largitas vel ex teſtamento potuit intelligi, quo amicis multa, praeſertim Mauro ſuo, ac Federico Magno, extremi in Regem amantiſſimum officii munus, elegantiſſimam tabulam legavit. At Rex Piſis FRANCISCO ALGAROTTO OVIDII AEMULO NEWTONI DISCIPULO (ſic enim inſcribi juſſit) monumentum poſuit, ejuſmodi magnificentia, quae utriusque nomen, atque adeo amicitiae tam ſingularis memoriam poſteritati commendabit.

AN-

ANGELUS FABRONIUS

JOANNI ARCHINTO CARDINALI

S. P. D.

SUnt nonnulli, nec ita pauci, qui laudes ſummas tribuunt Zanotto, quod locos graviſſimos ex phyſica ita eleganter dilucideque tractaverit, ut vel ii qui minus ingenio, & doctrina mathematica valent, illos aſſequi poſſint. Omnino in ejus poteſtate eſſe videbatur quidquid vellet apertiſſime ac planiſſime explicare, & verborum non ſolum, ſed etiam ſententiarum jucunditate condire. Solemus quidem harum rerum ſcriptores binas in claſſes diſtribuere: altera eſt eorum qui cum ſint a matheſi inſtructiſſimi, niſi per exquiſitiora artificia longeque petita ad ea, quae phyſicorum ſunt, accedunt; vagantur latius, raro experientiam conſulunt ſuis contenti hypotheſibus, omnia calculis implent, videnturque hac in re una elaborare, ut homines adoleſcentes a rerum naturalium ſtudio deterreant: altera eſt eorum, qui leges omnes atque hypotheſes, quibus naturam

nequaquam uti dicunt, praetermittentes, ea quae intellectu faciliora ſunt arripiunt, & ante oculos ponunt, rem a re ſecernunt, & ita judicant de nobiliſſima phyſicorum facultate, ut injuriam illi facere eos affirment, qui praeſidium ab aliis diſciplinis invitam petere cogunt. Hi tamen, quod mireris, Newtoni nomine uſque adeo ſe ſinunt abripi, ut quem nunquam fortaſſe a limine ſalutaverint, cujuſque ne unam quidem propoſitionem demonſtrare poſſunt, ſi velint, illius tamen ſe ſectatores eſſe, illum unum ſe in deliciis habere glorientur. Inter hos medium quemdam curſum tenere voluit Zanottus, qui quamvis nobiliſſima & prope divina non ſolum Newtoni, ſed etiam aliorum praeſtantiſſimorum phyſicorum & mathematicorum inventa & cogitata plane noſceret, eam tamen rationem & viam ſecutus eſt in iis, quae phyſicae conjunctiora eſſent exponendis, ut diſcipulos ſuos non tam alienare nollet, quam vellet allicere cum oblectatione quadam induſtriae. Requirebat enim ab iis ut ſaltem geometriae elementa, & ſectionum conicarum definitiones, primaſque proprietates cognitas haberent: ſi quid vero ex illa reconditiori geometria, qua nihil his temporibus eſt illuſtrius, ſumere cogeretur, ita ſe ge-

rebat, ut id homo a Carteſianorum algebra paullo inſtructior, neque rationis tractandarum aequationum ignarus facile aſſequi poſſet. Quod conſilium iis praeſertim temporibus, quibus contra antiquitatis amatores acerrime dimicandum erat, ſapientiſſimum fuiſſe puto. Sic enim facile erat perſuadere diſcipulis mediocri labore & coſtantia poſſe eos, quo contendebant, pervenire, & cum multos alliceret, ex his perpaucos induſtria & ingenio ſuperiores eligebat, quibus fontes vulgo hominum penitus abſconditos aperiret. Quid illud eſt crimen tot otioſorum hominum, qui ſe phyſicae doctores profitentur, ut compleant ſcholas inanibus clamoribus, & nil aliud diſcipulos ſuos niſi delirare doceant? Non hi quidem in ſolitaria aliqua terrrae parte deliteſcunt, ſed in frequentioribus urbibus eos laetos & erectos paſſim vagari & volitare videas, & diu videbis niſi per rerum publicarum gubernatores ac Principes, quibus optimorum ſtudiorum cura praeſertim commiſſa eſt, malo, quod vetuſtate, religionis ſpecie, & peccantium multitudine factum eſt robuſtius, tandem aliquando conſulatur. Quare minime eſt mirandum, ſi tanta ſit apud nos bonorum phyſicorum paucitas, ut qui in hujuſmodi facultate excelluerit, hunc ex maxime

raro hominum genere judicare debeamus. Nihil ſane frequentius eſt in ore illorum vulgarium doctorum, nihil habere commune phyſicam cum re mathematica, irridendamque temeritatem eorum, qui calami tractu ſublimiora aut hydraulicae aut ſtatices problemata ſe ſoluturos promittunt, quique adeo algebrae ſuae confidunt, ut hujus ſubſidio omne ſcientiarum regnum non dicam inviſere, ſed permetiri ſe poſſe ſperent. Sit hoc ſane, ut multi algebra abutantur, & omnium irriſione ludatur, qui nihil proferre audet, quod propriis illius ſcientiae notis non ſit ſignatum. Ceterum nihil ſtultius quam a phyſica res mathematicas ſeparare, quarum diſciplinarum conjunctione ex paucis principiis obſervationibuſque adeo multa non ſolum probabiliter, ſed & evidenter concludi potuere. Sic, ut pauca exempli cauſſa ponamus, in una experientia, quae eſt de lucis reflexione reperiri origo poteſt univerſae catoptrices; ab unica obſervatione, ex qua didicimus lucem, ut ajunt, refringi, non ſolum ortum ſuum repetit colorum theoria, ſed univerſa dioptrica; ſemel obſervata fluidorum corporum preſſione inde inferri potuere omnes aequilibrii, & motus horum ipſorum corporum leges; denique habita experientia quadam de cadentium corporum accelera-

Digitized by Google

tione detegi potuere leges eorum caſus ſuper inclinata plana, & tota pendulorum doctrina. Ex quibus aliiſque multis concludi poſſe videtur, phyſici nomen illum haud mereri, qui in inveſtigatione naturae geometriam ab experientia omnino ſejunxerit. Dici vero haud ſatis poteſt quam ſaepe haec traderet atque etiam inculcaret Zanottus omnibus iis, qui domum ipſius aut ſcholam frequentabant, cum ad illam maxime aſpirare laudem videretur, ut aſſiduus defenſor eſſet optimorum ſtudiorum, & auctor bonus, quoties quem nanciſceretur, qui illorum amore flagraret. Haec quidem nemo te melius novit, Cardinalis ampliſſime, qui illo & amico & doctore uſus es; quodque quotidianis illius ſermonibus excultus omni fere elegantia & doctrinae & orationis praeſtes, id multo glorioſius Zanotto eſſe puto, quam multorum, & mea praeſertim praeconia. Vale.

Piſis Id. Decembris MDCCLXXVIII.

FRANCISCUS MARIA ZANOTTUS.

FRanciſcus Maria Zanottus Joannis Andreae filius Bononienſis. Pater ejus quod eſſet actor excellens gratiam iniit apud Lud. XIV. Galliarum Regem, & ab eo non mediocribus affectus fuit beneficiis. Ducta, cum in Gallia commoraretur, uxore Margarita Angherania (*Enguerenz* appellabant) non tam propagationi nominis (alter enim Roſcius putabatur) quam procreationi liberorum dedit operam, ex eaque decem ſupra octo genuit liberos. Horum poſtremus fuit Franciſcus, de quo ſcribendum ſuſcepimus, qui lucem Bononiae adſpexit poſtr. non. Jan. MDCXCII. A Jeſuitis eas artes accepit, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, & ex eo tempore cognitum eſt illum naturam admirabilem habuiſſe ad dicendum ſcribendumque. Plus tamen quam Jeſuitarum inſtitutionem atque diſciplinam ſibi profuiſſe Antonii Ferdinandi Ghedinii conſilia & exemplum fa-

cile confitebatur. Tredecim annos natus ingreſſus eſt ad philoſophiam, quae tum Bononiae incipiebat excutere ſervile Scholaſticorum jugum, pluribus Gaſſendi opinionibus adſcitis. Soliti erant dicere ejus praeceptores neminem ſtudio nec induſtria majore ſe cognoviſſe, quanquam ne ingenio quidem, qui praeſtaret Zanotto, facile invenirent. Itaque tantos efficiebat progreſſus, ut non excurrere, ſed evolare videretur. Cum vero quae didicerat publice defendenda ſuſcepiſſet, talis apparuit, ut non unus e paucis, qui tum florebant doctrinae laude, adoleſcentibus, ſed potius inter paucos prope ſingularis eſſe judicatus fuerit. Laudem quoque in eo reportavit, quod reconditas exquiſitaſque ſententias molli & pellucenti veſtiverit oratione. Poſt id conſilio matris, a qua totus pendebat (nam pater mature deceſſit) animum appulit ad juris prudentiam, & annos aliquot audivit eos doctores, qui tum optimi putabantur. Cum vero eo proceſſiſſet, ut jam attingere cauſſas poſſet, tantum ipſum cepit faſtidium forenſis uſus, ut relicta juris prudentia, ad philoſophiae ſtudia totum ſe contulerit. Cupidiſſimus erat Za-

nottus penitus cognoſcendi recentiorum philoſophorum decreta; cumque probe intelligeret id ſine ope mathematicarum diſciplinarum ſe facere non poſſe, in his omnem curam atque operam poſuit, ducibus Euſtachio & Gabriele Manfrediis, Victorio Stancario, & Geminiano Rondellio. Quam longe in illis proceſſerit nihil attinet dicere, quoniam ſatis ejuſdem ſcripta declarant. Sic igitur inſtructus adiit recentes illos, qui maxime tum celebrabantur, philoſophos, & prae ceteris dilexit Carteſium, & qui ab illo profectus eſt, Malebranchium. Ex his etiam quaſdam theſes publice defendendas hauſit, quae res ſane multum commendationis habuit, tum propter novitatem dogmatum, tum propter exquiſitius & minime vulgare orationis genus. His tamen philoſophis minime ita fuit deditus, ut veteres plane reliquerit. Amabat Ariſtotelem, libentius etiam verſabatur cum Platone, quos legens eos ſubaccuſare videbatur, qui nimiam vetuſtatem nec habere eam, quam quaerebat ſuavitatem, nec eſſe jam ſane tolerabilem dicebant. Ea propter non mediocrem operam Graecae linguae navavit non ſolum ad intelligendum, ſed et-

jam ad ſcribendum. Non enim decere arbitrabatur ſe ornatum uberrimis artibus ac diſciplinis, & qui mirabiliter junxerat omnis elegantiae genus cum ſumma philoſophiae laude, non poſse Graeca quoque ornamenta ſcribendo exprimere. Quod ad Latinam & Italicam orationem pertinet, jam videbatur quidquid ille proferret eſse perfectum, & habere maturitatem quamdam ſuam. Itaque hac laude facile primas tenebat in iis doctorum virorum coetibus, quos Academias appellamus. Genus autem dicendi quod praeſertim amabat, erat non tam verbis, quam ornata ſententiarum concinnitate elegans. Non deerant tamen qui dicerent, illud ſtudium crebrarum venuſtarumque ſententiarum nimium eſſe, ſed certe aptum erat aetati, & quod ingenii quaedam ſingularis forma in eo luceret, ſummam audientium admirationem excitabat. Atque ut multa omittam, quae certe Zanotti adoleſcentiam ornabant, cum jam nobile ejus nomen eſſet, & laus doctrinae maxima, datum ei eſt publica auctoritate philoſophiae docendae munus. Is dedit operam, ſi modo id conſequi potuit, ut quiquid a praeſtantio-

Digitized by Google

ribus philoſophis excogitatum erat, noſceretur a diſcipulis ſuis. Illorum autem decreta cum inter ſe ſaepe neceſſe eſſet comparari, quanquam videretur Zanottus plurimum tribuere Carteſio, tamen quantum huic praeſtaret Newtonus in iis praeſertim rebus, quae ad opticam & caeleſtem phyſicam pertinebant haud invite declarabat. Quare ejus conſilio & ductu haud pauca expoſuit, & in vulgus edidit Franciſcus Algarottus de luce & coloribus, quo facilius ad conſentiendum homines novis ducerentur experimentis. In hoc tamen philoſophiae ſtudio caput illud eſſe Zanotto videbatur, ne adoleſcentes certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis ſe addicerent ac conſecrarent; quare illud ſaepe inculcabat, judicia libera eſſe debere, ac ſtulte agere illos, qui ad quamcumque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhaereſcunt. Poſtquam autem Patavinae Academiae Curatores audiverant quanto ſucceſſu ſuos philoſophia inſtrueret Zanottus, nihil non egerunt, ut ad ſe ipſum attraherent atque allicerent. Sed fruſtra. Nam cum intellexiſſet id aequo animo non laturam Civitatem, quae ſi voce illius

caruiſſet, magno ſeſe ſpoliatam ornamento exiſtimaſſet, patriae caritatem ſuae antetulit utilitati, quae quidem laus omnium fere illuſtriorum Bononienſium fuit propria. Alia quoque munera ſuſtinuit Zanottus, quare de patria & de litteris benemereretur. Nam factus a bibliotheca (agebat tunc viceſimum octavum aetatis annum) Academiae Inſtituti, in quam paucis annis ante, dum ipſa ſuum ortum habuit, adſcriptus fuerat, binos confecit indices librorum omnium, qui extabant, ut ſi propter anguſtiam loci minus commode ordinari, inveniri certe & haberi ad manus facile poſſent. Opus ſane longum & magni laboris, in quo illum plurimum adjuvarunt Syrus Gregorius vir in philoſophia maxime eruditus, & magnae ſpei adoleſcentes Alexander Branchettus & Flaminius Scarſellius. Triennio poſt factus eſt a commentariis ejuſdem Academiae, qua re datus illi eſt ingens campus, quo ipſius ingenium magis excurrere, magiſque cognoſci poſſet. Itaque Latine ſcribere inſtituit acta Academiae, quorum ſunt in manibus hominum volumina octo. Primum continet unde ſit orta Academia, aliaque mul-

ta ad illius hiſtoriam ſpectantia; commentarios rerum memorabilium, quae ab ultima origine Academiae ad annum uſque MDCCXXII. ab Academicis ad varias diſciplinas illuſtrandas vel de ſcripto recitatae, vel memoriter dictae, vel ex tempore diſputatae fuere; nec non opuſcula quaedam, prout ab ipſis Academicis conſcripta fuerunt. Reliqua volumina complectuntur hiſtoriam conſequentium temporum ad annum uſque MDCCLXVI. & cum opuſculis habent narrationem explicationemque earum rerum, quae in Academia agitatae, tractataeque ſunt, nulla tamen temporis, ut in primo, habita ratione. Horum ſecundum, cum nimis multa in eo eſſent comprehendenda, in tres partes, quae totidem libros conficiunt, diviſum eſt, quarum primam occupant commentarii, reliquas opuſcula. In explicandis rebus quolibet volumine contentis eum ordinem tenuit Zanottus, ut quae ad ſingulas facultates pertinerent, in unum locum collegerit. Neque eas nudas poſuit, ſed notavit cauſſas unde illae ortae, a quibus quibuſque temporibus, interdum adjunxit controverſias, & controverſiarum ini-

tia atque exitus, & ſaepe etiam ſuam interpoſuit ſententiam. Quae quidem omnia adeo perite & ſcienter, adeoque polite atque eleganter idem perſecutus eſt, ut praerepta non praebita ſcriptoribus, qui idem poſtea eſſent aggreſſuri, facultas videatur. Sunt quidem multi, quibus adeo arridet ordo, elegantia, perſpicuitas cum brevitate conjuncta, quae in univerſo ſplendeſcunt opere, ut eaſdem res malint ex commentariis Zanotti, quam ex Academicorum opuſculis ediſcere. Nec defuerunt quoque, & in his Beccarius, qui tantum tribuerent Zanotti operi, ut ſupervacaneam omnino eſſe cenſuerint opuſculorum editionem. Nemo vero ſatis mirari poteſt unum hominem artibus variis adeo & multis, de quibus neceſſe erat dicere, inſtructum fuiſſe, eumdemque politum adeo elegantemque ſcriptorem, ut nihil tam horridum ſit, tam incultum, quod non ſplendeſcat illius oratione atque excolatur. Profecto non facile reperies quem his virtutibus Fontenellio & Zanotto comparaveris. Fuit hic quidem aemulator Fontenellii, cumque illius ſimilis in Latine ſcribendo eſſe vellet, periculoſam imitationem exempli po-

Digitized by Google

ſteris prodidit. Multos quidem decipit illud ſententiarum acumen, & argutiarum copia, quibus tanquam luminibus ornabat Fontenellius orationem ſuam. Sed non omnes lepores in omnem linguam conveniunt. Habet ſua propria ornamenta Latina lingua, & aliena facile reſpuit. Quod cum intellexiſſet Zanottus ſemetipſum poſtea correxit, ſecutuſque eſt orationis genus omni quidem lepore ac venuſtate affluens, ſed quod medio in Latio natum dixiſſes. Igitur qui haec volumina legerit, non ſolum rerum ipſarum varietatem magnitudinemque, ſed & orationis ornamenta admirabitur; & priora volumina cum poſtremis comparans fortaſſe exiſtimabit, quod de Craſſi oratione quoque dictum fuit, Zanottum melius potuiſſe ſcribere, ut quidem ſcripſit, alium non item. Neque Hiſtorici ſolum, ſed etiam Academici partes egit Zanottus, cum in hos libros *de Bononienſi ſcientiarum & artium Inſtituto atque Academia* multa de ſuo retuliſſet, quorum inſigniora ſingulatim exponere minime pigebit. Norunt omnes fruſtra ad haec tempora geometras elaboraſſe ac deſudaſſe in quadrandis circulo atque hyperbola. Tenta-

vit id ipſum Hippocrates Chius, ſed de re deſperans conſtitit in lunula, in qua homini ſolerti contigit, quem optabat, exitus; ſicque jure meritoque gloriatus eſt, cum totum non potuiſſet, ſe aliquam ſaltem circuli partem quadraviſſe. Hoc inventum amplificarunt, qui conſecuti ſunt, geometrae, ſed eorum nemo, quod mireris, convertit ſe ad hyperbolam. Ad hanc igitur vacuam ſedem occupandam omne ſuum ſtudium contulit Zanottus, obtinuitque, ut non unum modo Hippocrateo more, ſed plura ſpatia in hyperbola quadraret. Hac re partam ſibi gloriam auxit alio quoque invento Zanottus. In ſphaera & cylindro, qui ſphaerae circumſcriptus ſit, eamdem proportionem habere ſoliditatem & ſuperficiem Archimedes primus omnium docuit. Quanquam geometrae ſummis ſemper laudibus extulerint theorema hoc ſane nobiliſſimum elegantiſſimumque, nullus tamen longo adeo ſpatio inventus eſt, qui illud ad alias figuras traducere ſtuduerit. Tacquetus tandem magnus geometra Archimedem explicans oſtendit idem, quod in cylindro, evenire in cono aequilatero, & in figura quadam, quae fit, ſi circulus &

quadratum circulo circumſcriptum circa diagonalem ſimul volvantur. Sic cylindro Archimedeo veluti comites binas alias adjunxit figuras. Incidit forte in huc locum Zanottus, cogitationem & ipſe ſuſcepit hanc eamdem viam ingrediendi, in qua adeo proceſſit, ut longo intervallo Tacquetum poſt ſe reliquerit. Nam quod hic de duabus tantum, Zanottus de omnibus omnino figuris, quae ſphaerae circumſcribuntur, oſtendit, idque effecit demonſtratione una tam facili, tam brevi, tam commoda, ut nil magis mirari oporteat, quam potuiſſe eam tamdiu mathematicos omnes fugere. Hinc tranſit ad figuras planas, & pari felicitate theorema aliud invenit, ipſum quoque nec utilitatis nec elegantiae expers. Comperit enim nullum eſſe polygonum, quod circulo circumſcribatur, cujuſcunque ſit generis ſive regulare, ſive irregulare, cujus area non eam habeat proportionem ad aream circuli, quam habet illius circumferentia ad hujus circumferentiam. His inventis laetus alacerque Zanottus expoſuit ea ſermone Gallico (adeo enim hunc noverat, ut ipſi Galli eum in hoc maxime admirarentur) miſitque ad Regiam

Mon-

Digitized by Google

Montis Peſſulani Academiam, in quam, ut & in Londinenſem, paullo ante fuerat cooptatus. Quantum vero illa probata fuerint, ex hoc facillime poteſt judicari, quod Pariſienſis Academia (ſunt enim Academiae illae duae inter ſe adeo conjunctae, ut unum veluti corpus conſtituant) ſcriptum Zanotti ſuorum Actorum libro inſerere voluerit, qui eſt de rebus anni MDCCLVIII. Quoniam vero in hoc ſcripto plura ſunt expoſita quam in commentariis Bononienſis Academiae, ad illud volumen mathematicarum rerum ſtudioſos delegamus. Illud quoque multae commentationis opus fuit, quo rationem tradidit ſeparandarum indeterminatarum. Dolendum ſane tum erat, quod cum ſcriptores alios algebrae locos certiſſimis praeceptis exquiſitiſſimaque doctrina illuſtraſſent, hunc quamvis graviſſimum (quis enim eſt, qui vel primoribus labris ſcientiam hanc attigerit, qui neſciat quanti momenti ſit ad aequationes integrandas indeterminatarum ſeparatio?) quaſi deſertum, omnique fere vacuum arte reliquiſſent. Ne igitur tam arctis circumſcripta cancellis haec algebrae pars eſſet, Zanottus effecit, viam certam commodiſſimam-

que aperiens, quae ad ſeparandas indeterminatas in aequationibus non ſane paucis perduceret. Quilibet per ſe facile experiri poterit, quod ſi communibus notis ſcribatur numerus, qui multiplex ſit 9. multiplicem quoque ejuſdem numeri 9 ſummam ſemper eſſe ipſarum notarum. Hujus veritatis demonſtrationem multi dum quaererent, non plane ſatisfeciſſe videbantur mathematicorum deſiderio. Quod iis deſuit cumulate explevit Zanottus; & ut aliud ex alio, ſic huic explicationi adjunxit alias aliarum proprietatum tum ejuſdem numeri, tum quoque terni; omnia tractans acute, ſubtiliter, eleganterque. Sed praeſertim acutiſſimum elegantiſſimumque attulit dicendi genus, cum adverſus Bernoullium & Camum de elaſtris ſcribendum ſuſcepiſſet, ut ſi minus rei veritate, elegantia ſaltem ſe probaret lectoribus. Quodcunque illius animum probabilitate tum percuſſit, id in medium attulit, poſtea dubitatio accidit, demum retractatio. Et ſane nemo alicujus nominis nunc philoſophus eſt, qui hac in re ad Bernoullii ſententiam, id eſt ad verum ipſum, minime acceſſerit. Cum autem hoc ſtudiorum

genere maxime delectaretur Zanottus, ut quod a pleriſque probari videbat, ſuis ipſe ponderibus examinaret, & ſaepe etiam oppugnaret, eos erroris convicit, qui putabant magnitudinem ſoni aeſtimari a quadrato, ut ajunt, denſitatis aeris, in quo excitatur. Multis enim experimentis probavit, aucta aeris elaſticitate, quamvis eadem ſit denſitas, augeri ſonum, ac propterea in hujus magnitudine aeſtimanda illius quoque rationem haberi debere. Nemo erat qui non crederet phoſphorum Bononienſem lucem mutuari a ſole, in qua opinione convellenda ſtatuit, illum quidem ſolis radiis accendi, accenſum non aliena, ſed luce lucere propria. Experimenta quibus id probavit plurimum a Ferdinando Marſilio ceteriſque Academicis commendata fuere; nec minus illa, quibus oſtendit lucis radium ab alterius coloris radiis ſeparatum, proprium ſemper retinere colorem, quamvis per flammam tranſeat, qua de re multi ambigere videbantur. Sunt haec quidem potiora opuſcula, quae contulit Zanottus ad ornamentum commentariorum Academiae Inſtituti. Non pauca etiam expoſuit *de motu com-*

poſito, *de reflexionibus globi in plano rectangulo*, *de ſpatii exiſtentia*, *de quantitatum multiplicatione*, de quibus ſatis dixiſſe videbor, cum illorum mentionem fecerim. Cum ſurgebat Zanottus, quamvis de rebus non magni momenti dicturus eſſet, ſignificabatur a corona ſilentium, neque is dicendi unquam finem fecit, quin ſuos in omni laude effuſos expertus fuerit. Sic ex laudantium conſenſu non ſolum amicum quiddam & dulce reſonabat, verum etiam ſpectantes audienteſque laetiſſima permulcebantur voluptate, cum viderent nullum invidiae apud populum Bononienſem locum eſſe, omneſque poſſe libere ac tuto, ac certa ſpe honorum litteris doctriniſque vacare. Poſtquam Zanottus pauca quaedam *de viribus centralibus* in Academia diſſeruiſſet, hac eadem de re opus ſeparatim vulgavit. Magni enim intereſſe putavit non elegantia ſolum, ſed & perſpicuitate brevitateque allicere adoleſcentes ad noſcendum locum, qui philoſophiae Newtonianae ſummam fere continet, eſtque ad phyſicas caeleſtium corporum converſiones explicandas aptiſſimus. Omnia vero, quae quidem in illo argumento prima ſunt, breviſſi-

mis, calculis minimeque artificioſis, comprehendere voluit, ut quantum ſimplicitas poſſit experiretur. Sic tamen exiſtimavit non omni labore, ut multi jam putant, ſtudioſos adoleſcentulos levandos eſſe, ſed exercenda eorum ingenia, & paullulum etiam torquenda, quo fierent acutiora. Ex multis vero, quae expoſuit, ad corporum per curvas illas lineas, quas conicas vocant, pertinentia, illa praeſertim arriſiſſe Auctori videntur, quae ad noſcendam conducunt velocitatem, quam habet corpus a centro vel tractum vel repulſum in quolibet orbitae ſuae puncto. Hoc theorema tanti fecit vir doctrina ſummus Paullus Friſius, ut ipſum non mediocri ſibi uſui fuiſſe in illo ſuo *de gravitate univerſali opere* conficiendo affirmaverit. Erant tum philoſophorum multi, qui non bene jacta phyſicae fundamenta putabant, niſi quae maxime vigebat, de vivis, ut vocant, viribus quaeſtio diſſolveretur. Ad hanc quoque ſe convertit Zanottus, deque ea tres dialogos ſcripſit, quibus nihil elegantius excogitari poteſt, quibuſque nihil illuſtrius habet Italica lingua in hoc difficillimo ſcribendi genere. Omnino viſus eſt ille voluiſ-

ſe totam hanc materiem extorquere e manibus mathematicorum, eamque tradere metaphyſicis & rhetoricis. Stetit a Carteſio contra Leibnitium, qui hanc vim non a velocitate, ut ille contendebat, ſed ab ejus quadrato aeſtimandam arbitrabatur. Quae hinc & illinc afferebantur argumenta praetermitti & nigligi poſſunt, cum praeſtantiores geometrae nunc uno ore conſentiant, totam illam litigioſam diſputationem, in qua ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum labore conſumpta miramur, de nomine fuiſſe. Conveniebat jam inter diſceptatores quaenam eſſent principia aequilibrii & motus. Dum corpus movetur nil aliud clare nobis videre licet niſi decurſum ſpatium, & in hoc decurrendo conſumptum tempus. Vix vero intelligas quid ſit vis, quam eſſe nonnulli negant, aut ſi eſt tamen, non illam niſi ex effectibus noſces. Quamvis geometrae aliis de rebus diſſideant, mirifice tamen congruunt de ratione hos effectus aeſtimandi, idque ſatis eſſe debet. Saepe quidem accidit, ut multis millibus verſuum ea tractentur a philoſophis, quae paucis, ſi veritatis quam contentionis ii eſſent cupidiores, con-

fici poſſent. Quod iiſdem facile condonaremus, ſi plures Zanotti ſimiles eſſent, qui adhibito orationis nitore ea, quae ſua ſponte ſunt ſquallidiora, ornate ſuaviterque explicarent. Zanottus autem quod amore patriae cenſebat cives ſuos praeſtantiorum philoſophorum cogitata & inventa noſſe debere, nullam praetermittebat occaſionem exagitandi Scholaſticos, quod de rebus ante oculos poſitis dubitare viderentur. *Nonne videtis*, dicebat aliquando cum in eorum coetu eſſet, *veſtra ſolemniora dogmata aut ſua vetuſtate conſenuiſſe, aut novis inventis ipſa eſſe ſublata? Poteſtis ne in veſtra patria peregrini & advenae eſſe ignoratione earum rerum, quibus univerſae jam perſonant ſcholae?* Cumque lucide breviterque de attractione diſſeruiſſet, poſtremo jocandi cauſſa addidit, adeo vim illam in univerſa dominari natura, ut non deeſſent, qui ideas, non ſecus ac corpora, attrahi crederent: ſe nuncium ab amico accepiſſe brevi futurum, ut hac de re opus vulgaretur. Poſt id forte evenit ut ruri otioſus eſſet, repetenſque dicta a ſeſe, experiri voluit num aliquid hac de re in aſpectum lucemque proferre poſſet ad irridendos Scho-

laſticos ſuos. Librum itaque confecit, quem ex Gallico converſum fuiſſe fingit. Vix intelliges an jocoſe an ſerio ſcribat. Omnes quidem logicae locos percurrens in omni mentis actione attractionem invenit, eaque, lepide ſane, omnia explicat phaenomena. Sparſit etiam in toto opere ſemina quaedam reconditioris doctrinae, & ſtylus, qui & alia, hoc maxime ornavit atque limavit. Habuit a natura Zanottus genus quoddam acuminis, quo quid vellet conſequi poterat; adeoque valebat vel ſcientiae perveſtigatione, vel diſſerendi ratione cum ſubtili venuſtate atque urbanitate conjuncta, ut nihil tam abſtruſum & tam incredibile eſſet, quod illo ſcribente facile, jucundum & probabile non fieret. Is autem, quamvis pervagatiſſimus ille verſus vetet

Artem pudere proloqui quam factites

non diſſimulanter delectabatur hoc ingenii bono, cujus periculum praeſertim facere voluit, cum παράδοξα, imitatus Ciceronem, ſcribenda ſuſcepiſſet. In hoc conficiendo opere ſenex etiam elaboravit, de illo edendo cogitans, cum ſatis ejuſdem magnitudo creviſſet. Eſt autem hoc majus quiddam, quam homines opinan-

tur, & pluribus ex artibus ſtudiiſque collectum. Cum autem philoſophia in tres partes ſit diſtributa in naturae obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores, poſtquam illa duo tractaſſet Zanottus, tertium quoque illuſtrare oratione voluit. Ea profecto eſt ſcientia morum, ut cum de Deo immortali, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de aequitate, de temperantia, de animi permotionibus, de omni virtutis genere ſit dicendum, nullis fere terminis circumſcribat ac definiat jus ſuum. Quapropter nemo ſatis callide & perite in ea verſari poteſt, qui non ſit maximarum rerum ſcientia inſtructus. Studioſe quidem accurateque opus ſuum effecit Zanottus; & quanquam prudentia & elegantia nunquam deficiat ſcriptorem, non dubito tamen quin majus quiddam ab eo effici potuiſſet. Sed ſe excuſavit quod illud ipſum adoleſcentibus, & iis praeſertim, qui eloquentiae & poeſi dant operam, deſtinaverat. Eapropter ſecutus eſt maxime Peripateticos, quorum ſic explicavit doctrinam, ut mira delectatione allicere valeat etiam diſſidentem le-

Digitized by Google

ctorem. Interdum Platonis & Ariſtotelis opiniones comparat, momentoque ſuo ponderat, & plerunque in illum propenſior eſſe videtur. Sed non contentus ſe ex antiquis ſcriptoribus ingenioſe & diligenter electas res collocaſſe, nonnihil ipſe quoque novi protulit. Confutandum etiam ſuſcepit illum omnium Stoicorum exagitatorem Maupertuiſium, adverſus hunc contendens, non ſemper philoſophos illos a veritate abeſſe, nec ſemper eorumdem dogmata Chriſtianae religioni adverſari. Sed in illius refellendis ſententiis homo officii plenus ita ſe geſſit, ut non modo non exulcerare gratiam adverſarii, ſed etiam ſibi conciliare potuerit. Nihilo tamen minus haec res magnarum controverſiarum ſeges & materia fuit. Nam Caſtus Innocens Anſaldus Dominicanus homo praeſtanti doctrina, edito libro, quem inſcripſit *Vindiciae Maupertuſianae*, acriter reprehendit Zanottum, quaſi aliquid detraheret Catholicae religioni, dum nimium tribuere voluit Stoicorum philoſophiae in infelicitate vitae minuenda. Beate enim vivere illi ponebant in ſola virtute ſine ulla ſpe praemii, futuraeque felicitatis. Hanc accuſationem

non ſprevit Zanottus, & homo promptiſſimus cum tres ſermones edidiſſet reſponſione non illa quidem inimica, ſed tamen ſalis & leporis plena magis laceſſivit adverſarium ſuum. Itaque quae reſpondit Anſaldus eo multo duriora & acerbiora fuere, ut ipſe ex Zenonis ſchola exiiſſe videretur. Haec valde pupugerunt Zanottum, qui nihil in vita ſe tuliſſe acerbius amico declaravit. Et ſane quis non indigne ferat ſe in ſuſpicionem vocari violatae religionis, praeſertim cum non modo a facto, ſed & ab omni cogitatione, quae criminationi juſtam cauſſam dare poſſit, ſe putet abeſſe? Nec facile poterat exiſtimare utrum minus vellet aut novis ſcriptis novis querelis cauſſam dare, aut inultam adverſarii acerbitatem, qui omnia in pejorem partem arripere videbatur, relinquere. Plures quidem ſcripſit epiſtolas, & has non ſuo, ſed neſcio cujus Joſephi Antonellii nomine Lucae vulgavit. Tales tamen ſunt, ut facile Auctorem prodant, qui quidquid ſcribebat, vel nolens ſua quadam propria ornabat venuſtate feſtivitateque. Minime defuere, qui ſe huic controverſiae immiſcerent. Ex his Jo. Lamius pronuntiavit,

Anſaldum Zanotti ſententiam male interpretatum fuiſſe; conſilio ſuo ſi uti vellet, mitius cum tanto tamque religioſo viro agendum: Cardinalis vero Quirinius, ſive ejus amicus Antonius Sambuca, ſcripta longiſſima epiſtola ad Zanottum ipſum, quae eſt in manibus, illius ſe acerrimum defenſorem oſtendit. In hoc rerum ſtatu Anſaldus ſciſcitatus eſt ſententiam collegae ſui Pii Thomae Schiarae, qui veritati obſequi ſtudens, non gravatus eſt quid quoque de capite diſputationis ſentiret dicere. Librum itaque vulgavit inſcriptum; *Parere ſopra il libro intitolato Vindiciae Maupertuiſianae*, quo Zanottum omni erroris ſuſpicione liberavit. Tanti viri auctoritatem viſus eſt ſuſcepiſſe Anſaldus ipſe, cum poſtea de tota re ſiluiſſet: non ſatis vero dici poteſt quanto beneficio ſe obſtrictum Schiarae putaverit ipſe Zanottus, cum ſit hominis ingenui liberaliterque educati velle bene audire ab omnibus. Significavit quoque Schiarae S. P. Benedictus XIV. hoc ſibi gratius facere eum nihil potuiſſe, quod ſibi cordi maxime eſſet civis optimi fama atque tranquillitas. Totius controverſiae narrator eſſe voluit Zanottus ipſe

cum Venetiis iterum imprimeretur ejus de moribus philoſophia, idque tam belle & vere fecit, ut hac narratione ſe contentum quoque fuiſſe dixerit Anſaldus. At longius mihi quoque hujus controverſiae contexere hiſtoriam licuiſſet, ſi ex ſcriptis, quae ex utraque parte edita ſunt, nova quaedam ſecerni poſſent, quae ad morum ſcientiam illuſtrandam pertinerent. Zanottus autem ſe ſaepe nova videri dicere intelligebat, cum pervetera dicebat, ſed inaudita pleriſque; & hujuſmodi philoſophorum diſputationibus plurimum adjuvari, cui maxime ſervire volebat, oratorem arbitrabatur. Profecto nec latius nec copioſius de magnis variiſque rebus ſine philoſophia poteſt quiſquam dicere; & illa praeſertim, quae eſt de vita, de officiis, de virtute, de moribus, tantam ſuppeditat orationis copiam, ut ſine multa illius diſciplina nemo orator & poeta appellari poſſit. Atque hujuſce rei exemplum petere ex ipſo Zanotto poſſumus, qui magnum ſane in oratoribus & poetis nomen habuit. Tres ejus extant orationes ſplendidae verbis & ſententiis, acutae, & prudentiae pleniſſimae. Harum prima eſt

de laudibus picturae, architecturae, & ſculpturae, quam juſſu Benedicti XIV. anno MDCCL. Romae dixit in ea Academia, quae ex inſtituto Clementis XI. ſingulis annis ad illas fovendas artes haberi ſolet in aedibus Capitolinis. Ingens ac prope ſingularis plauſus, quo illa excepta eſt, movit in Zanotto mentem tentandi, poſſet ne ita dici ut probaretur contrarium, more Carneadis, Arceſilaea liorumque oratorum praeſertim Graecorum, qui ſingularum rerum laudes vituperationeſque conſcribebant, quod judicarent hoc oratoris eſſe maxime proprium, rem augere poſſe laudando, vituperandoque rurſus affligere. Sic binas inter ſe contrarias orationes fecit, de quibus ita judicarunt intelligentes homines, alteram plus ornamenti, plus roboris alteram habere. Veritus ne id diſpliceret Clementinis Academicis, tertiam orationem conſcripſit, qua allata contra priorem argumenta convelluntur, nobiliſſimarumque artium cauſſa iterum defenditur. Non facile quidem judicaveris quaenam trium harum orationum, quae ſimul junctae editae Bononiae fuerunt, reliquis ſit anteferenda, adeo abundant omnes oratoriis virtu-

tibus. Atque utinam Etruſca lingua plures his ſimiles orationes haberet, in quibus perfectae eloquentiae ſimulacrum reperire poſſemus: ſic enim non quaereret externa, & domeſticis eſſet contenta. Nec minus ſe probavit Zanottus doctis viris pangendis Latinis Etruſciſque carminibus, adeo ut ſi nihil aliud ſcripſiſſet, nomen tamen ejus extaret. Adoleſcens delectatus eſt Catulli imitatione; omnesque apud illum erant ornati elaboratique verſus, ut in iis formam optimi poſſent omnes adſpicere. Cum vero ejus aetas in ea tempora incidiſſet, quibus celebriores Itali poetae lenitatem ſuavitatemque Petrarchae cum vi Dantis conjunctam exprimere conabantur, hanc dicendi formam ipſe quoque ſtudioſe conſectatus eſt, venuſtiſſimi ac politiſſimi poetae famam colligens. Si pauci ſunt, qui uno ſermone ſcite eleganterque utantur, qui vero duobus, perraro exoriantur, profecto nunquam ſatis mirabimur eum, qui horum utrumque praeſtiterit non modo ſoluta, ſed etiam numeris adſtricta oratione, quod Ciceronem ipſum expertum, ſunt qui negent aſſequi potuiſſe. Multa Zanotti carmina Etruſca, quae diſperſa va-

gabantur collegit primum Euſtachius Manfredius, inſeruitque iis, quae ex celebriorum poetarum cujuſque faeculi operibus ſelecta, Auguſtini Gobbii circumferuntur nomine. Quaſdam etiam Latinas elegias edidit Jo. Antonius Vulpius cum ſuis aliorumque carminibus, de quibus doctus ille intelligenſque exiſtimator hoc judicium fecit, eas adeo Romanae orationis candorem, ſimplicitatem, ſuavitatem ceteraſque dicendi virtutes praeferre, ut ipſum Catullum illas ſcripſiſſe non puderet. Utraque vero, ſcilicet tum Etruſca tum Latina carmina aliquot poſt annis ſeparatim & copioſius, quam antea, Florentiae typis impreſſa ſunt, ac poſtremo Bononiae, cui editioni acceſſio quoque facta eſt nonnullarum elegiarum de ſolemnioribus diebus feſtis B. M. V. In his non Catullum modo, ſed & Tibullum & Ovidium imitatus eſt, ex iis, ut ex Virgilio, ſuum quoddam conflans efficienſque orationis genus ſuavitatis, venuſtatis, gravitatis, majeſtatiſque plenum. Perpaucos quidem pares habuit Zanottus in Latina poeſi, in Italica vero multos non pares modo, ſed etiam ſuperiores. Verum ille non ita multa poemata

elu-

Digitized by Google

elucubravit, tum quod, ut caepit publicis muneribus diſtineri, hiſce rebus vehementer abſtinuit, tum quod jampridem eam etiam ſcribendi rationem pene omnino intermiſerat. Quo fit, ut quae carmina ejus nomine circumferuntur aut in chartae plagulis, aut in parvulis illis collectionibus, quae quotidie peſſimo more fiunt a noſtris hominibus, debeant non illi omnia adjudicari, cum mihi quidem conſtet eum typis ſaepe poemata aut fratrum, aut amicorum, perinde ac ſua, commiſiſſe, praeſertim cum viciſſim id ſibi ſumerent conjunctiſſimi homines, ut a moleſtiis, quibus affici ſolet poetarum genus, ſe vindicarent. Neque facile fuit ex ipſo Zanotto aut ſcire, aut impetrare omnia quae propria illius eſſent, quod horum exemplaria minime in ſcriniis ſeponeret, quodque eadem illi adeo ex animo effluebant, ut ſi quis ea ante oculos poneret, interdum aliena ne eſſent an ſua dubitare videretur. Sed cum diutius ſiluiſſent muſae Zanotti, neque extorqueri quidpiam in hoc rerum genere ab eo poſſet, extitit Maria Ratta femina genere, ingenio, & pulchritudine praeſtans, quae magnopere ſe ab eo audire

velle dixit praecepta, & quaſi vias, quae ad poeſim ferant, & quid ſentiret de praeſtantioribus poetis, atque etiam qua de cauſſa ſentiret. Zanottus, qui nihil unquam illi a ſe poſtulanti recuſavit (erat enim illi cum officiis multis, tum etiam quotidiana conſuetudine conjunctiſſimus) de poetica ſcribendum ſuſcepit. Quo in libro non id modo complexus eſt, quod ſummorum hominum prope conſenſu eſt ſtatutum, ſed ab ipſa natura atque ratione quemdam ordinem praeceptorum repetiit. Scrutanti vero & quaerenti ex omnibus neceſſe fuit adhibere judicium, ut levia ſemper rejiceret, nonnunquam etiam communia praetermitteret, & non neceſſaria; & cum minime videtur, tum maxime philoſophatur, quae vera, quae recta ſunt in omni poeſis genere inquirens. Multas etiam ponit quaeſtiones, quarum ſolutio ab exquiſita quadam ratione & doctrina pendet. Nunquam vero ſatis laudari poteſt brevitas reſpondendi ſubtili venuſtate atque urbanitate conjuncta. Difficile eſt breviter ſummatimque enumerare ornamenta libri, quem ex omnium artium cognitione, quae poeſi inſervire poſſunt, penitus effloruiſſe apparet. Quod interdum vero

videatur eſſe verboſior Zanottus, condonandum eſt homini, praeſertim ſeni, ſermocinanti cum femina, cui omnia ſumma & ſingularia ſtudia ſe debere fatebatur. Ejus ut voluntati pareret, quaedam etiam alia conſcripſit, quibus praeſertim uſus eſt in illius filiis erudiendis tum grammatica, tum geometria atque philoſophia. Dioptricam etiam, & mechanicam, aliaque hujuſmodi condidit, quo ſerviret commodis utilitatique diſcipulorum. In quibus commemorandis operibus illud aſſequor, ut intelligas hominem quamvis doctrina praeſtantem ad minima quaeque deſcendiſſe, quoties patriae & amicorum caritas poſtulabat. Quod ſi eſt optimum ſuaviter dicere, & res magnas & obſcuras illuſtrare poſſe diſſerendo, & animos eorum, qui audiunt & legunt, devincire voluptate, nihil eſt quod melius Zanotti ſcriptis quaerendum putes. Vereor ne amore plura, quam fuerint in illo, dicere videar. Quod non eſt ita: alia enim de illo majora dici poſſunt. Nam nec continentia, nec pietate, nec fide, neque ullo genere virtutis quemquam ejuſdem aetatis illi ſuperiorem pono. Ingrati ſimulatique animi cri-

men horrebat, factamque fraudem alicui cum audiret, perinde commovebatur, ac ſi res non alieni, ſed ſui negotii eſſet. Honores neque petiit, neque concupivit. Cum tamen, mortuo Beccario, factus eſſet Academiae Inſtituti Praeſes, hoc judicio ſtudioque civium plurimum delectatus eſt. Illud etiam ſibi laetandum eſſe jure videbat, quod cum, ipſo approbante Senatu, ſibi antea adjutorem adſciviſſet in ſcribendis Academiae commentariis Sebaſtianum Canterzanium, vacuum illi munus relinqueret. Amavit enim ſemper ingenium, ſtudia, mores hominis ſpectatiſſimi, quo neminem aptiorem ſe cognoviſſe unquam ad hujuſmodi ſuſtinendum munus mihi aliquando teſtatus eſt. Incredibile eſt quam ipſum taederet hominum, qui in rebus levibus futilibuſque multi & inſolentes ſunt. Sic interdum animo incitabatur cum in hos ceteroſque, qui ſimulatione, & inani oſtentatione gloriam ſe aſſequi poſſe rentur, ut ejus deſideraretur humanitas. Nullae tamen vehementiores animi concitationes erant in eo, niſi ad breve tempus. Duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. Erat enim

natura melancholicus, & ſtudii & laboris non ſolum patiens, ſed etiam avidus. Cum de natura quereretur, quod ab ea nec motus animi celeres & acutos ad excogitandum, nec firmam memoriam habuiſſet, commentatione, exercitatione atque ordine id incommodi ſarciri poſſe dicebat. Ea propter nil unquam ſcripſit, quod antea ſecum ipſe lente ac prope faſtidioſe haud meditatus fuerit. Ubi vero de ſolitudine ſe tollebat, ut cum amicis congrederetur, magna erat in homine jucunditas, magnus in jocando lepor; ſicque interdum hilarabatur, praeſertim cum in conviviis verſaretur, ut diceret, nullos tanta laetitiae voluptate affici, quanta melancholici afficiuntur. Omnino vir humaniſſimus ferre eos non poſſe videbatur, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe volunt. In circulis congreſſionibuſque familiarium ſaepe percunctando atque interrogando elicere ſolebat eorum opiniones, ut ad ea, quae ii reſpondiſſent, contra diceret. Hec enim erat Socratica ratio contra alterius opinionem diſſerendi; nam ita facillime, quod veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe Socrates arbitrabatur. Sed Zanot-

tus non tam veri reperiendi, quam congreſſionis protrahendae cauſſa faciebat; & licet contra ſuum judicium diſputaret, tantum tamen prae ſe ferebat ardorem, ut dixiſſes pro aris & focis illum certaſſe. Cum notaret aliorum vitia, dulcis adeo erat, feſtivique ſermonis, ut non eſſet querelae locus. Illud etiam conſecutus eſt in dijudicandis plurimorum controverſiis, ut eos ipſos quos contra ſtatuit, aequos placatoſque dimitteret. Itaque efficiebat, ut cum gratiae cauſſa nihil faceret, omnia tamen eſſent grata quae faceret. Cum in Italiae luce cognoſceretur, ac in optimorum civium flore verſaretur, multi congreſſus illius, conſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones, ac benevolentiam requirebant. Verum caros in primis habuit (e multis eos commemorabimus, quorum memoria illi erat jucundiſſima) Ferdinandum Antonium Ghedinium in omni orationis genere perquam elegantem ſcriptorem, Euſtachium & Gabrielem fratres Manfredios, quos, uti ſupra commemoravimus, praeceptores habuit in mathematicis diſciplinis. Quanquam eum praecipue dilexit Euſtachius, ut ne frater quidem ei ca-

rior fuerit & familiarior. Ejus quoque opera plurimum utebatur in illis ſuis aſtronomiae ſtudiis. Minime vero ſatiari poſſe videbatur, cum Zanotti humaniſſimos mores, & docilitatem feſtivitatemque ingenii illius praedicaret. Cui quidem amori tanta memoria, tantaque magnitudine obſervantiae reſpondit Zanottus ipſe, ut nihil ſupra. Haec pietas erga praeceptorem facile ab eo impetravit, ut defenſionem ejuſdem ſuſciperet adverſus nebulonem quemdam, qui caeleſtium ephemeridum libros, quos vulgaverat Manfredius, maledico dente carpere auſus fuerat. Quaedam etiam ejus opuſcula, quibus Academiae Inſtituti acta augeret, ex Italico in Latinum convertit, & commentariolum de ipſius Manfredii vita Italice ſcripſit, quod a Scipione Maffejo in vulgus editum eſt. Ex Venetis plurimum tribuit Joanni Polenio mathematico praeſtantiſſimo. Summa etiam illi neceſſitudo fuit cum Jo. Antonio Vulpio Patavino, cujus nomen celebrabitur, dum litterae manebunt, cum Carolo Innocentio Frugonio Genuenſi, quem multo elegantiſſimum poetam noſtram tuliſſe aetatem vere videor poſſe contendere, & cum Jaco-

bo Baſſanio Vicetino Societatis Jeſu, ipſo quoque pereleganti poeta, cujus extat Latina elegia ad Zanottum dum is philoſophiae laurea donaretur. Quae porro amicitia firmior fuit, majoribuſque culta officiis, quam quae inter Zanottum & Morgagnium Forolivienſem interceſſit? Cujus ut aeternum monumentum extaret, ille anatomicorum princeps Zanotto dicavit II. partem ſuorum opuſculorum, cum nuncupaſſet primam Hallerio, tertiam patrio Senatui. Nihil eſt amabilius, nec copuſatius amicitia hominum, qui cum muſis, id eſt cum humanitate, commercium habent, qui quidem, licet remotiſſimas regiones incolant, ſic tamen animis junguntur (in quo ingenii opinio, quam viciſſim habent, & propriae communiſque utilitatis ſpes plurimum valet) ut unius civitatis incolae eſſe videantur. Scribebat aliquando Voltairus Zanotto, nihil ſe magis cupere quam Italiam & Zanottum ipſum praeſentem viſere, cui deſiderio quoniam ob decrepitam aetatem ſatisfacere ſe poſſe deſperabat, velle ut ejus ſaltem memoria ſuo in ſepulcro extaret. Amabat autem Voltairus in Zanotto illud praeſertim orationis genus,

in quo quis poterat imaginem antiquae, & vernaculae feſtivitatis agnoſcere, ad hoc lepores, elegantiamque differendi, quibus ornamentis res magnas & abſtruſas veſtiebat ſic, ut qui in cogitando & quaerendo erant defatigati, Zanotti ſcripta legentes, in ejus oratione, tanquam in peropportuno diverſorio, conquieſcerent. Nec minus illud erat mirabile quod ſublimiorum diſciplinarum ſcientia cum illis mitioribus artibus oratorum ac poetarum in uno homine copularentur. Cum quis mathematicis ac philoſophicis ſtudiis ſe dedit, ita occupatur animus inquiſitione & inveſtigatione rerum occultarum, ut omnis aditus intercludatur iis artibus, quae ad titillandas aures, & ad molliores mentes permulcendas inventae a nonnullis eſſe dicuntur. Animi hoc eſt judicium agreſtioris, qui contemnit, quod ſe aſſequi poſſe deſperat. In tota antiquitate unum fortaſſe reperies Ariſtotelem, qui & intelligendi & dicendi graviſſimus auctor eſſet & magiſter, quique eodem ſtylo, quo animantium omnium ortus, victus, figuras, plantarum naturam perſequebatur, poeſis & eloquentiae praecepta traderet. Inter recentio-

res, qui facultates diſſimillimas junxerint, numerantur Leibnitius, Fontenellius, Buffonius, Alembertius, e noſtratibus vero Manfredius, & Zanottus. Qua de cauſſa cum hic ad caelum ferretur, ſe beatiſſimum (trahimur enim omnes laudis ſtudio) putabat, & miſereri eorum ſortem videbatur, qui

Ploravere ſuis non reſpondere favorem
Speratum meritis.

Miror equidem Benedictum XIV. qui mirificus ſemper extitit praedicator doctrinae & virtutum Zanotti, niſi laudum praemia civi optimo tribuiſſe. Quantam vero de ipſo opinionem habuerit, ex hoc quoque intelligi poterit. Pervenerat ad Pontificis aures Zanottum in animum induxiſſe abdicare ſe laborioſo & moleſto munere, quo multos jam annos in Academia Inſtituti fungebatur (erat enim, uti diximus, a commentariis) eaque de re per litteras certiorem feciſſe Senatum. Tulit hoc ille graviter pro ſua ſingulari in patriam caritate: nam ſi fieret, intelligebat plurimum detractum iri de gloria Academiae. Itaque ſcribendum putavit ad Senatores Inſtituti praefectos darent operam, ut hominem omni

conditione allicerent retinerentque. Id ſi feciſſent ſibi pergratum perque jucundum fore. Verum non multum iis elaborandum fuit. Nam Zanottus, cognita Principis amantiſſimi voluntate, ſtatim de propoſito ſuſceptoque conſilio diſceſſit, tantumque valuit illa apud eum, ut non modo abſtergeret omnes provinciae ſane graviſſimae moleſtias, ſed efficeret labores molles etiam & jucundos. Satis de opinione, quam Bononienſes de Zanotto ſingularem habebant, me dixiſſe arbitrabor, cum illud addidero, quidquid in eo viro perſpectum ſit, hoc ſpectatu & imitatione dignum illos exiſtimaſſe. Quapropter minime eſt mirandum ſi mortem ejus non luctu publico ſolum, ſed etiam monumentis honorandam putaverint. Nihil ego magnificentius vidi ejus exequiis, ad quas cohoneſtandas convenerunt non ſolum primarii viri & feminae, & qui principem locum in Senatu obtinebant, ſed etiam Cardinales ampliſſimi Andreas Jovannettus & Ignatius Boncompagnius, quorum alter ſacris, alter publicis rebus Bononiae praeerat. Perpetua uſus felicitate ceſſit e vita Zanottus VIII. Kal. Januar. an. MDCCLXXVII.

tanta animi conſtantia tranquillitateque, quae ſunt certiſſima innocentiae & pietatis in Deum ſigna, ut e domo in domum videretur migrare. Nunquam ſatis dolere poſſumus, quod malitia nocentium vetus religio interdum exaruiſſe videatur in litteratorum Republica. Nonnullorum virtute illa revireſcit, & qui id curant, ſoli ſapientes & vocari & haberi merentur. Hujuſce rei ſtudium cum aetate crevit in Zanotto, & ſenex praeſertim exardeſcebat iracundia & ſtomacho, cum recordaretur crimen illorum, qui poſtquam ſe vitiorum illecebris, cupiditatum lenociniis ſe dediderunt, ad innocentium periculum ſemina errorum in ſcriptis ſuis ſpargunt, quae quidem omni veſtiunt elegantia, ut dulcedine quaſi perfuſi facilius moveantur animi. Itaque monere non ceſſabat adoleſcentes, ut ab his exitioſis libris, quaſi Reipublicae peſtibus, refugerent, & omne deſiderium id noſcendi, quod occultum & penitus abditum Deus voluit eſſe, ſpe immortalis ac beatae vitae lenirent. Quibus rebus effecit, ut dubitari poſſet utrum melior eſſet an doctior. Quod ſi formam corporis poſteri quoque noſcere cupiant, ſtatura fuit juſta, ocu-

lis ceruleis, fulvo capillo, naſo oblongo, adſpectu venuſto, eoque venuſtiori, quod inerat in eo quidam manſuetudinis humanitatiſque color.

OPERA EDITA.

Elogio del Sig. Euſtachio Manfredi ſcritto dal Sig. Franceſco Zanotti Segretario dell' Accademia delle Scienze di Bologna ec. Extat in Tom. V. *delle oſſervazioni letterarie. Verona per il Vallarſi* 1739. *p.* 158.

Franciſci Mariae Zanotti in publico Bononienſi Archigymnaſio philoſophiae Profeſſoris praefatio, in qua anonymi animadverſiones expenduntur. Extat in fine libelli, cujus titulus: *Ephemeridum caeleſtium motuum Manfredii errata inſigniora; editio II. Venetiis* MDCCXXXI. *apud Antonium Mora.* Defenſionem Manfredii ſuſcepit Zanottus adverſus Antonium Chiſilierium.

Della forza de' corpi, che chiamano viva. Libri tre del Sig. Franceſco Maria Zanotti al Sig. Giambatiſta Morgagni. In Bologna per gli Eredi di Coſtantino Piſarri, e Giacomo Filippo Primodi 1752. *in* 8.

La filoſofia morale ſecondo l' opinione de' Paripatetici ridotta in compendio dal Sig. Franceſco M. Zanotti con un ragionamento dello ſteſſo ſopra un libro di Morale del Sig. di Maupertuis data in luce, e dedicata alla nobile e patrizia Sig. Conteſſa Ginevra Cozzadini Malvaſia del Conte Gregorio

Caſali. *In Bologna per gli Eredi di Coſtantino Piſarri*, *e Giacomo Filippo Primodì* 1754. *in* 4. *e Venezia* 1763.

Diſcorſi III. del Sig. Franceſco Maria Zanotti in riſpoſta al libro del P. Caſto Innocenzo Anſaldi intitolato: Vindiciae Maupertuiſianae. *In Napoli nella Stamperia Muziana*, 1755. *in* 8.

Lettere del Sig. Giuſeppe Antonelli Meſſineſe profeſſore di belle lettere in Palermo al Sig. Dott. Luigi Portez March. della Valletta ſopra le controverſie nate tra il Sig. Franceſco M. Zanotti e il Padre Caſto Innocenzo Anſaldi intorno alla filoſofia morale del Sig. Maupertuis. *In Lucca per Franceſco Maria Benedini* 1755. *in* 8.

Orazione del Sig. Franceſco Maria Zanotti in lode della pittura, della ſcultura, e dell' architettura recitata in Campidoglio l'anno 1750., *con due altre orazioni d' incerti autori, nell' una delle quali s' impugnano la propoſizione, e le ragioni dell' orazione ſopraddetta; nell' altra ſi difendono. In Bologna per Lelio della Volpe* 1750. *in* 8.

Poeſie Volgari e Latine. Edita primum Zanotti carmina fuere Florentiae 1734. cura & ſtudio Franciſci Algarotti. Edita poſtea Bononiae an. 1757. eaque auctiora. Nonnulla quoque eorum impreſſa fuere Mediolani an. 1759. ſeparatim vero typis commiſſae fuerunt: *Elegie latine per le ſolennità principali di Maria compoſte da Franceſco M. Zanotti, e traſportate in Endecaſillabi Italiani coll' aggiunta di alcune note da D. Pier Maria Brocchieri Chierico Regolare di S. Paolo. Bologna per Lelio della Volpe* 1751. *in* 8. Condidit etiam Zanottus cantum VI. ludrici poematis *di Bertoldo, Bertoldino, e Cacaſenno*; quod primum impreſſum eſt an. 1736. a Laelio a Vulpe in 4.

Digitized by Google

Della forza attrattiva delle idee. Napoli 1747. Iterum editus eſt liber Bononiae an. 1774. cum hoc titulo: *della forza attrattiva delle idee frammento d' un' opera ſcritta dal Sig. Marcheſe de la Tourry a Madama la Marcheſa di Vincoux ſopra l' attrazione univerſale: terza edizione franceſe coll' aggiunta di alcuni frammenti dello ſteſſo Autore ſopra la forza attrattiva delle coſe che non ſono, il tutto tradotto dall' idioma Franceſe in Italiano.*

De viribus centralibus Bononiae 1762.

Dell' arte poetica ragionamenti V. alla nobil Donna la Sig. Marcheſa Maria Dolfi Ratta. Bologna 1768.

De Bononienſi Scientiarum & Artium Inſtituto atque Academia Commentarii. Opus hoc V. in Tomos dividitur, quorum ſecundus tres partes habet, quintus vero duabus partibus componitur. Primus tomus editus eſt an. 1731. poſtremus vero an. 1767. Inter opuſcula Academicorum ſequentia ad Zanottum pertinent.

De motu compoſito Vol. I.

De hyperbolicis quibuſdam ſpatiis Vol. II. p. II.

De Elaſtris ſermones tres Vol. II. p. III.

De ſeparandis indeterminatis:

De corporibus quibuſdam ſphaerae circumſcriptis Volumine III.

Epiſtola in qua primum de luce agitur, tum pauca indicantur de motu initiali Vol. V. p. I.

Sermo obſervationem novam exhibens, qua mathematicus longe praeſtantiſſimus de la Lande mirabilem quamdam in Saturni motu inaequalitatem demonſtrat Vol. V. p. II. Sunt alia multa, quae Zanottus expoſuit Academicis ſuis, ad illuſtrandam rem phyſicam & mathematicam, de quibus ſermo in commentariis habetur.

Sermones Franciſci M. Zanotti habiti in Bononienſi Scientiarum Inſtituto: accedunt epiſtolae nonnullae ejuſdem Franciſci Mariae Zanotti: Baſſani 1774.

Lettere varie famigliari. Extant in eo libro, qui inſcribitur: *Lettere famigliari d' alcuni Bologneſi del noſtro ſecolo. Venezia* 1745.

Extremum Zanotti ſcriptum fuit epithalamium *per le feliciſſime nozze del nobil uomo Sig. Conte Senatore Alamanno Iſolani e della nobil donna la Sig. Marcheſa Eleonora Ratta. Bologna* 1777. Haec tamquam cycnea ſingularis hominis vox & oratio fuit, qua extrema officia muſis & amicitiae ſe perſolviſſe gloriabatur.

ANGE-

ANGELUS FABRONIUS

ANSELMO COSTADONIO

S. P. D.

MAximas tibi, Coſtadoni, gratias omnes & habere & agere debemus, qui monumenta ingenii, quae reliquit Mittarellius tuus, edenda curaſti. Quod vero a me poſtulaſti, ut de ejus vita pauca ſcriberem, in hoc quidem agnoſco humanitatem tuam, ſed vereor ut ſatis deſiderio tuo facere poſſim. Nihil enim difficilius puto quam effigiem morum illius, virtutis, conſtantiae, pietatis, ingenii exprimere. Verum cum hominis ſanctiſſimi vita multis ſit praeclariſque monumentis ad omnem memoriam commendata, hiſtorico non egere videtur, & quidquid de ea per vos, aut per alium veſtra cohortatione ſcribatur, hoc magis monumentum gratae familiae, quam clari viri futurum erit. Satis laudare videmini majores veſtros, cum illorum praeclara facta, tanquam exemplaria quae imitemini, vobis ante oculos ponitis; & novis virtutum exemplis prodendis me-

moriam praeteritorum facile renovatis. Quae ſunt tot praecepta, & conciones de vita caſte & innocenter agenda? Nemo eſt qui legendo & audiendo jam non ſit defeſſus, & tamen bonorum mira eſt paucitas. Non dicto, ſed facto eſt opus, neque in inani verborum volutatione, ſed in re ipſa perficienda poſitum putare debemus fructum excellentis virtutis. Non ſatis placet concentus, qui totus eſt ex falſis voculis; nulla ſuavior eſt harmonia, quam cum dictis facta reſpondent: haec Dorica illa eſt, quae in primis peritos decet; hoc Architae eſt inſtrumentum, quod a pueritia eſt adhibendum. Cum veſtram familiam intueor praeclaris inſtitutionibus fundatam, optimiſque confirmatam exemplis, videre videor beatas illas inſulas, in quibus dicuntur eſſe arbores quaedam adſpectu jucundiſſimae, quarum in ramis toto anni tempore cernere eſt alios fructus mites jam & ad maturitatem perductos, alios matureſcentes, alios pubentes adhuc, & in primum ſe florem induentes; ſic in veſtrorum animis toto vitae tempore aliae actiones honeſtae & laudabiles confectae jam ſunt & abſolutae, aliae in eo ſunt ut abſolvantur, aliae inchoantur adhuc & informantur, primiſque, ut ita dicam, lineis deſignantur. Alia-

rum vero recordatione ac conſcientia, aliarum tractatione ac praeſentia, aliarum meditatione ac proſpicentia omnes adeo afficiuntur, ut merito nihil ſibi deeſſe putent ad bene beateque vivendum. Quod eo libentius praedico, quod ſciam non ubique ſic educari juventutem, ut vitam cum virtute colat, ſed ut de virtute obſcuriſque rerum divinarum quaeſtionibus poſſit diſſerere, quibus ſtudiis homines profecto nihilo fiunt meliores. Sunt quidem multae praeclarae artes atque doctrinae; ſed eae, ſi cum moribus honeſtiſſimis colantur, laetos quidem & uberes fructus ferent, ſi cum perditis, nunquam non exitiales exitus habebunt. Non ſolum hominum collegia, ſed & ipſa regna adeo virtutis diſciplina indigent, ut ſine ea diu conſiſtere non poſſint. Et quidem non Athenienſium ſolum & Lacedaemoniorum, ſed & Romanorum imperium, quod mole ſua ſtare, & aeternitatem ſibi polliceri poſſe videbatur, ad interitum ruere caepit, quando in honore eſſe deſiit vetus diſciplina. Quibus rerum viciſſitudinibus imperiti ſtatuerunt fortunam reginam rerum humanarum, quaſi non ſit neceſſe imperium, quibus partum ſit, iis moribus atque artibus retineri & conſervari, & fortunam ipſam veluti pediſſequam ſequi ſapientiam, & ſplendorem virtutis.

Vobis itaque gratulor, quod nulli parcatis diligentiae atque induſtriae, ut florentem habeatis juventutem optimis ſtudiis, optimiſque moribus, qua re una & familiae famae, ſtabilitatique, & hominum utilitati conſulere poteſtis. Libenter recordor quantum uni Grandio debeat non veſtra modo familia, ſed & haec Piſana Academia & ad veterem diſciplinam retinendam, & ad reconditiores doctrinas provehendas. Quapropter ſatis mirari nequeo homines, qui neque fabro imperito credunt veteres parietinas, neque ſortito operas conduci velint ad agrum colendum, non videre quanti momenti ſit ad educandos inſtruendoſque adoleſcentes habere delectum praeceptorum, qui probi, bene morati, bonique ſint, & ingenio ac ſcientia valeant. Sed nolo plura de bonitate nunc dicere, cum properem ad exponendam Mittarellii vitam, in qua tota illuſtre veteris ſanctitatis exemplum intueri licebit. Vale.

Piſis XII. *Kal. Jan.* MDCCLXXVIII.

JOANNES BENEDICTUS MITTARELLIUS

JOannes Benedictus Mittarellius Venetiis natus eſt honeſtiſſima familia IV. Non. Septemb. an. MDCCVIII. Parentes habuit Antonium Mittarellium, & Prudentiam Gliſentam, ex quibus & ex aliis ſanctis viris, quibuſcum puer verſabatur, ita accepit omnibus bonis oportere plus virtutis, quam gloriae & divitiarum eſſe; luxuriam, ignaviam, peſſimas artes, pleroſque adoleſcentes perdere, & beatos illos eſſe, qui ex propria majorumque virtute nihil ſibi arrogantes, remoti ab civili ſtrepitu in ſolitudine vitam agitant. Haec & alia hujuſmodi ita ceperunt vel incenderunt Joannem, ut cum e pueritia vix exceſſiſſet, nomen Camaldulenſium familiae dederit. Quo majora ipſe antea argumenta praebuerat ingenii tum in privata Joannis Ocherii ſchola, tum in publico Jeſuitarum gymnaſio, a quibus rhetorica & philoſophia eruditus fuit, eo majus quiddam ab eo, quam a ceteris expectare

Digitized by Google

& exigere videbantur, qui illius inſtitutioni praeerant. Sed quae tum primum excoluit ſtudia Scholaſticorum tricis ineptiiſque contaminata, magis ad tempus, praeceptorumque voluntatem, quam ad ingenium ſuum fuere accommodata. Quapropter Florentiae cum eſſet, ſuo ipſe ductu ita polemicam & dogmaticam, ut vocant, theologiam cum ſcholaſtica conjunxit, ut jam ſe prudentioribus fere aequaverit. Elegit etiam ex iis diſciplinis, quae quidem latiſſimè patent, multa gravia & utilia, de quibus publice, ut moris eſt, diſputaret; quod quidem ſic ei ſucceſſit, ut ejus praeceptor nihil ſe audiſſe melius affirmaret, & gloriam ſuam laborem diſcipuli facere velle videretur. Ex eo tempore omnium Camaldulenſium ora fuere in Mittarellium converſa, qui quidem opinionem ingenii & doctrinae tanta virtute & innocentia tutabatur, ut benefacere ex conſuetudine jam in naturam vertiſſet. Itaque tanquam in clariſſima luce verſaretur, nullum obſcurum poterat eſſe illius aut dictum, aut factum, magnaque praeſertim fuit admiratio ipſius, cum philoſophiam primum, mox theologiam in patrio S.

Michaelis coenobio ſuos docuiſſet. Recentiorum philoſophorum inventa, ut ſibi ſuiſque diſcipulis, quaſi lumen eſſent, curavit. Suo vero exemplo ſuiſque praeceptis oſtendit theologiam omni eruditionis dote locupletandam; hujus quaſi duces & ſigniferos Eccleſiae Patres intuendos; minime ab ipſa ſejungendam artem criticam & morum ſcientiam, non illam, quae voluptati blanditur, & ipſi Deo litem quodammodo intendere videtur, ſed eam, quae e caelo ad nos venit, & quam in omnium animis mentibuſque ille naturae auctor inſculpſit. Poſt id munus ei datum regendi tyrones, ad quod capiendum omnia abunde erant; induſtria, vigilantia, probitas & rerum, quae ad ſodalitatem pertinerent, prudentia ſingularis. Nec recuſavit, quominus ſodalitatis ſuae virgines moderaretur, ſacrisque expiaret, qua de cauſſa Tarviſium conceſſit. Vir enim ſanctiſſimus omnia, quae ad pietatem, aliorumque bonum quomodocumque ſpectabant, potiora ſemper ceteris occupationibus duxit. Quoniam ibi tantum habebat otii, quantum antea ei minime contigerat, quoniamque domeſtico tabulario utebatur ſatis

amplo atque inſtructo, ſtatuit S. Pariſii res geſtas mandare litteris, qui ſeptem ſupra ſeptuaginta integris annis eidem coenobio praefuerat, atque ea praeterea conſcribere, quae illius coenobii hiſtoriam illuſtrarent. Opus Venetias redux abſolvit, dignumque putavit, quod Benedicto XIV. qui cum Pariſio communem habebat patriam, Sanctimonialium nomine dedicaretur. Paullo ante quam haec ſcriberet, ediderat Mittarellius libellum, quem opportuniſſimum fore putavit fovendae praeſertim illorum pietati, qui ſolemnioribus quibuſdam promiſſis Deo ſeſe voverant. E Gallica in Italicam linguam converſum illum fuiſſe fingitur ad occultandum auctorem, qui in omni actione nihil tam averſari videbatur, quam hominum celebritatem. Iſtos vero labores excepit libellus de Faventino monaſterio, cui ab SS. Trinitate nomen inditum, in quo ſatis erudite narratur hiſtoria illius monaſterii. Ut erat moris majorum ſummus imitator Mittarellius, ſic antiquitatis fuit amantiſſimus, cujus monumenta undique conquirebat, illa praeſertim, quae cum ſuae ſodalitatis hiſtoria congruebant. In ea enim cogitatione verſa-

batur, ut Camaldulenſium annales conficeret; a quo incepto ſtudioque licet eum multae ſaepe curae avocaverint, tamen cum per otium licebat, eodem ſemper regrediebatur. Arduum in primis videbatur res bene multas abſtruſas & in tenebris latentes, quae acciderunt, quando Itali ceteraeque nationes non tam lingua, quam natura & moribus barbari erant, inveſtigare; quae ſtudia fuiſſent hominum, quae vitae ratio, a quibus, quibusque de cauſſis ſingula prope familiae coenobia ortum habuerint, eorum vicem, virorum aut ſanctitate, aut doctrina praeſtantium, qui in iis floruerunt, res geſtas explicare, ea demum omnia perſequi, quae aut ignorata, aut relicta a ceteris ſcriptoribus magnam medii, ut vocant, aevi hiſtoriae lucem afferre potuiſſent. Qui Camaldulenſium ſodalitati praeerant, intelligebant quidem poſſe Mittarellium in iis omnibus ſatisfacere, & per illum effectum iri, ut in hoc tam illuſtri genere ceteris Benedictinis Monachis nihil concederent. Itaque poſtulabant, vel potius flagitabant ab eo, ut operi omni cura vacaret, eoque magis, quod Grandius, & Callogerius mul-

tis in eam rem collectis monumentis, ſcribendi ſtudium commoviſſe videbantur. Ad ceteras cauſſas haec quoque opportunitas adjuncta eſt, ut cum eſſet Praepoſito Generali ab epiſtolis, omnia obire familiae monaſteria, omniumque viſere tabularia potuerit. Sed praeſertim monumenta rerum geſtarum traxit ex tabulario coenobii Camaldulenſium primarii; nec ulli unquam pepercit aut incommodo, aut ſumptui, quo amplam ſegetem ac materiem ſibi ad magnum perficiendum opus ſeponeret. Quanquam in Mittarellio incredibilis animus erat, ſupra tamen unius hominis vires opus illud videbatur; quare ſocium ſibi adjunxit Anſelmum Coſtadonium, virum cum moribus, ſtudiis & natura ſua adeo congruentem, ut illum cum intueretur, tanquam exemplar aliquod intueri poſſet ſui. Quod igitur minus per ſe poterat, id accipiebat ab alio. Itinera quoque inſtituerunt, qua conjunctim, qua ſeparatim ad monumenta vetuſtatis comparanda, doctoſque viros conſulendos. Demum convenere ii amiciſſimi viri in Venetum S. Michaelis coenobium, ut collecta diſponerent, & narrationes rerum explicarent. Al-

Digitized by Google

terum illud Coſtadonio munus detulit, alterum ſibi ipſe Mittarellius reliquit. In ſuis partibus agendis Mittarellius propoſuit ſibi praeſertim ad imitandum Mabillonium, doctum ſane & elegantem Benedictinorum annalium ſcriptorem. Genus tamen dicendi adhibuit, cui color & ſuccus ille veterum Latinorum deeſſe omnino mihi videtur. Sed commendatur opus perſpicuitate, eruditione & judicio acri & certo, quo ad criticorum trutinam omnia videas exacta. Atque id adeo verum eſt, ut non indigeamus teſtimonio doctorum hominum, qui ſummis laudibus illud opus, cum primum in lucem exiit, commendarunt. Praeter narrationem rerum omnium memorabilium, quae ſingulis annis acciderunt, habet opus diſſertationes & praefationes, quae multa illuſtrant ac patefaciunt obſcura. Ex his praeſertim commemorabimus quae ad veteres, ut appellant, Converſos pertinent; quae de tota re veſtiaria (haec enim varia & multiplex pro vario temporum & hominum more & ingenio fuit) omnium Benedictinorum Monachorum diſſerunt; & quae formulas quaſdam, titulos & voces eorumdem Monachorum proprias expli-

cant. Quanti vero facienda ſunt illa, ex quibus quorumdam virorum & illuſtrium familiarum propagines, quae in Italia dominabantur, & a quibus beneficia Camaldulenſes acceperunt, poſſumus cognoſcere! His praeſertim volumen III. abundat, quanquam univerſum opus habet hujuſmodi multa. Exiſtimavit Mittarellius facta hominum ſanctitate praeſtantium illuſtriora fore, ſi narrarentur verbis aut eorum, qui praeſentes teſtes fuerunt, aut qui cum vixiſſent iiſdem ferme temporibus, illorum teſtimonium graviſſimum reputari debebat. Ea propter intulit in primum volumen vitam, quam de S. Romualdo Camaldulenſium parente exaravit Petrus Damianus, cujus manu ſcriptum exemplar ſane vetus dono acceperat Coſtadonius ab Albertio nobili viro Senenſi. Ornavit quoque ſecundum volumen epiſtolis & opuſculis ejuſdem S. Petri Damiani, & ſi quid minus diſtincte ac diſtribute collectum videbatur, ipſe non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & judicio diſponebat. Id praeſertim intelligi poteſt ex volumine operis VII., in quod B. Ambroſii epiſtolas contulit. Nullus erat earum ordo,

incerta tempora, quibus ſcriptae fuerant; ſed rem cum re, epiſtolam cum epiſtola conferens explicare Mittarellius ordines temporum potuit, lumenque rebus memoria dignis afferre. Et quidem qui eas epiſtolas legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Sed haec & his ſimilia, quamvis maximis laboribus ſteterint Mittarellio, haud magno ipſe ponebat in pretio. Eo ſanctiſſimus homo ſpectabat in primis, ut eſſent omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento, ex quibus ſui praeſertim, quod imitarentur, caperent; ut noſcerent quae vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibuſque artibus aucta ſodalitas, ac bonis ditata exemplis; ut nihil tam vererentur quam ſortem quarumdam religioſarum familiarum, quae labente paullatim diſciplina, invectiſque pro labore deſidia, pro paupertate ac parſimonia, rerum cupiditate, praecipites ire adeo caeperunt, donec eo perventum, ut cum nec vitia ſua nec remedia pati poſſent, ruere plane debuerint. Quanquam ceſſationem plane liberam & otioſam tantum opus poſtulare videbatur, vel in magnis tamen ſodalitatis occu-

pationibus (ad tyronum enim curam adjunctum eſt ipſius S. Michaelis coenobii regimen) ad umbilicum illud Mittarellius perducere potuit. Non enim credibile eſt quam facile interrupta contexeret, quam vigilans & induſtrius eſſet, ut ne minima quidem tempora perire ſineret. Incepta I. voluminis impreſſio eſt an. MDCCLIV. die S. Romualdi feſto, ut orſis tanti operis ſucceſſus proſperos daret. Decennio poſt (tantam feſtinationem fortaſſe miraberis) VIII. operis volumen vulgatum eſt, quod hiſtoriam rei Camaldulenſis ad noſtram uſque profert aetatem. Meo quidem judicio non errant, qui haec volumina tanquam theſauros aliquos monumentorum vetuſtatis appellant. Utinam Mittarellii & Coſtadonii exemplum imitarentur ceteri religioſi homines. Hi profecto bene de litteratorum republica mererentur, ſi vel ornamento ſepoſito (paucorum eſt enim hiſtoriam ſcribere) monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum, quae iis majores reliquerunt, in lucem hominum proferrent. Haud deeſſe poterant hiſtoriae ſcriptori multorum querelae. Verum ſic illas per-

tulit Mittarellius, ut omnes intellexerint ipſum hac praeſertim laude gloriari, quod veritatis amiciſſimus eſſet, omniſque expers curae, quae ſcribentis animum, etſi non flectere a vero, ſollicitum tamen efficere poſſit. Hac ipſa mente ſe ſuſcepiſſe opus ajebat, ut non ſolum ſummos labores perferret, ſed & multorum arrogantiam ac difficultates exſorberet. Quod Aeſinas dicatur Bonaventura Seta Cremonenſis monaſterii ad S. Catharinae Abbas, qui Veronam patriam habuit; quod auctographon cujuſdam epiſtolae Vincentii Patritii, in qua multa narrantur *de oppido Saxiferrati, de antiquo Sentino, ac de Comitibus de Triputio*, minus vere affirmetur, extare apud annalium Scriptores, ſint ea quidem errata, ſed quae opere in longo nullius mortalis vitet ingenium. Atque Mittarellius, ut fuit ſemper apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed illa indicavit atque innuit. Ceterum vix alia invenies, in quibus ipſe jure reprehendi poſſit. Fuit enim diligentia ſingulari, qua una virtute reliquas virtutes omnes contineri dicebat. Porro non ſatis aeque dijudicatur a multis quanto in pretio habenda ſint ope-

ra hujuſmodi. Saepe interfui philoſophorum & poetarum ſermonibus, qui cum plerumque ſeſe mutuo contemnant, mirifice tamen congruere videntur, ut riſu eruditorum labores excipiant. Hos avaris comparant, qui undique opes, nullo delectu habito, colligunt, partiſque neſciunt frui. Saepe quoque vidi eruditos homines ſtomachantes quidquid poetarum, philoſophorumque eſſet, horumque arrogantiam ridere, quod cum tenues poſſeſſiones habeant, ſumptuoſius tamen, inſolentiuſque ſe jactare videantur. Eſt rediculum ea, quae non poſſis habere, contemnere. Omnes quidem artes ac diſciplinae cognatione quadam inter ſe continentur, ſuiſque auxiliis & copiis mutuo ſeſe adjuvare & poſſunt & debent. Non eadem omnibus facultas ingenii convenit; ſed magni ſemper exiſtimari debet ingenii in una aliqua arte excellere. Itaque non minus admiraberis memoriam & diligentiam illius, qui totus eſt in praeteritorum temporum factis colligendis, quam ſagacitatem philoſophi, incredibileſque motus, celeritatemque animi, quo praediti ſunt poetae. Mittarellius quidem, ut erat aequiſſimus

rerum

Digitized by Google

terum aeſtimator & judex, & modeſtia omnino ſingulari non ſolum alienas laudes plena manu in aſtra ferebat, ſed ſuas, quantum poterat, minuebat. Plane ignorari ſummos, quos in ſtudiis ſuis impendebat, labores optaſſet. Sed ipſa diſſimulatione famae famam auxit, & tanquam decus atque ornamentum ſodalitatis a ſuis celebrabatur. Itaque illi honores deeſſe non poterant; in quibus accipiendis nil aliud amavit, niſi voluntatem & ſtudium ſuorum. Tenui victu cultuque delectatus, facillimus, humaniſſimuſque ſic tenuit per X. annos gubernaculum monaſterii S. Michaelis, ut par infimis eſſe videretur. Nec intelligebat ſe, cum animum & mentem cogitatione hominum ſanctitate excellentium conformaret, illuſtre ſuppeditare ſuis exemplum ad imitandum, qua porro nulla eſt praeſtantior diſciplina. Quapropter praedicari de ſe ac nominari nolebat, cum homines admirarentur ea in domo veteris ſanctitatis lumen elucere. Malebat enim videri monachos ſuos ſe inveniſſe bonos, quam feciſſe. Summus honos & totius ſodalitatis negotia cum ei an. MDCCLV. impoſita fuiſſent, multa ſane & utiliter & ſapienter geſſit.

Univerſam Camaldulenſium familiam bene firmam in optimis conſiliis, quae ad rectam ſtudiorum rationem & morum diſciplinam pertinebant, firmiorem etiam ſua auctoritate & prudentia fecit. Quamvis alieniſſimus ſemper fuerit ab hujuſmodi munere, effecit tamen, ut nemo unquam paratior, vigilantior, compoſitior ad illud acceſſiſſe videretur. In eligendis iis, qui ceteros regere & inſtituere debebant, non ex commendatione aut precibus, non ſtudiis privatis ullum adſcivit, ſed optimum quemque; omnia ſcire, conſulere omnibus, parvis peccatis veniam, majoribus ſeveritatem accommodare; nec poena ſemper, ſed ſaepius poenitentia contentus eſſe. Omnino ſic praefuit per quinquennium ſodalitati, ut videretur non modo opinionem viciſſe omnium, quae de virtute ejus erat, ſed etiam gloriam aequaſſe ſuperiorum. Cum Romam, ut munus flagitabat, acceſſiſſet, ſingularibus honoribus ac beneficiis a Clemente XIII., cui jamdiu cognitus & carus erat, affectus fuit. In iis quidem accipiendis non ſolum vitavit oſtentationis ſuſpicionem, ſed palam omnibus fecit, nullam ſe habere eorum cupiditatem. Qua-

propter ſolitus erat Pontifex dicere paucos ſe noviſſe, quibus aeque ac Mittarellio innata eſſet probitas gratuita, neque ulla praemiorum ſpe ac mercedibus mutuanda. Et quia rumor aliquando percrebuerat fore illum aut Cardinalem, aut Faventinorum Epiſcopum, quod Faventini ipſi magnopere concupierant, plurimum his vocibus ſe perturbatum fuiſſe cuidam ex neceſſariis ſuis declaravit. Quamdiu Romae adſuit, ne quis ſingularis honos a ſuis ſibi decerneretur reſtitit; abſens prohibere non potuit. Itaque cuſum fuit numiſma, quod praeter imaginem Mittarellii habet quernam coronam cum inſcriptione: ANNALIUM CAMALDULEN. CONDITORI ET PATRI SUO XVIRI CAMALD. DD. A. MDCCLXV. Sed dum Camaldulenſes omnia facta dictaque parentis optimi ſecum revolverent, dum pietate ſingulari eum proſequerentur, dum admiratione formam animi intuerentur, omnium ampliſſimo monumento conſecraſſe memoriam Mittarellii videbantur. Inter haec graviſſimo dolore affectus fuit ob mortem Mauri Sartii, qui Romae ſodalitatis negotia procurabat. Praeter acerbitatem amici erepti augebat moe-

ſtitiam, quod alloquio & complexu fovere deficientem abſens non potuit. Fuit Sartius homo ſumma prudentia, multa etiam doctrina, quam praeſertim ejus de Bononienſi Academia commentaria, aliaque ſcripta ad antiquitatem pertinentia indicant; iis vero moribus, ut idem eſſet ſanctiſſimus ac ſuaviſſimus. Sed illuc revertor. Cum domicilium haberet Mittarellius Faventiae, quae civitas ſane erat apta humanitati illius, rem gratam ſe facturum putavit Faventinis ſuis, ſi in vulgus ederet, quae Toleſanus Canonicus & Catinellus Bononienſis litteris mandaverant rerum Faventinarum, quae ſuis temporibus acciderunt, memoriae retinendae cauſſa. Sunt haec chronica ut a ſcriptoribus ſaeculi XIII. exiliter ſcripta. Haud mediocriter tamen Faventiae hiſtoriam illuſtrant, & merita quidem ſunt, ut hoc vulgarentur titulo: *Ad Scriptores rerum Faventinarum clariſſimi Muratorii acceſſiones hiſtoriae Faventinae*. Iſtud Mittarellii ſtudium in nobiliſſimam humaniſſimamque Aemiliae civitatem, in qua majorum meorum quaedam impreſſa veſtigia eſſe magnopere glorior, ſingularibus officiis, & dono etiam remu-

muneratum fuit. Sed ipſe quaſi beneficium antea non dediſſet, bene de ſe meritis gratum & liberalem animum ſuum oſtendere voluit, cum auxiſſet memoratum opus *appendice de Litteratura Faventinorum, ſive de viris doctis & ſcriptoribus Urbis Faventiae*. Is quidem mea ſententia non errabit, qui in hac appendice preproperae feſtinationis ſigna quaedam apparere, nec magno cumulo prius beneficium auxiſſe Mittarellium judicaverit. Quinquennio elapſo cum, ut moris eſt, receſſiſſet a gubernaculo ſodalitatis, eo ſpectavit in primis, ut in otium ſolitudinemque, tanquam in portum, ſe conferret, quo fidentiori animo graderetur ad mortem. Et profecto haud facile dixeris, an in luce & oculis hominum, an intus domique praeſtantior fuerit. Rerum ſacrarum aſſidua inſidens cura, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, aliorum caritas, ſui deſpectus, cetera demum bona, quae in virtute poſita ſunt, ſic exornabant vitam Mittarellii, ut hujus ſanctitas eo magis eluceret, quo magis occultabatur. Dabat quoque tempus ſtudiis ſuis; neque dubito quin majora perficere potuiſſet, ſi ullus gloriae ſen-

ſus fuiſſet in eo. Erat enim memoria, & diligentia prope ſingulari. Non poſſum equidem non ingenio primas concedere, ſed tamen ipſum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Haec praecipue colenda, haec ſemper adhibenda, haec nihil eſt quod non aſſequatur. Delectabatur mirifice lectione librorum, de quibus audiebat, nec facile celerem adeo lectorem inveniſſes. Poſtremo tempore hoc ſe debere munus putavit monaſterio S. Michaelis, cui praeerat, & in quo diu beate vixerat, ut catalogum ederet codicum manu ſcriptorum, qui ejuſdem bibliothecam ornabant. In hoc conficiendo opere minutam diligentiam adhibuit; & ne ſine corollario illud ipſum eſſet, diſſertatione auxit, quae eſt de libris ſaeculo XV. impreſſis. Dum in eodem typis mandando elaborabat XVIII. Kal. Septemb. anni MDCCLXXVII. mortem obiit, quam jamdiu ſe expectare dixit, tanquam neceſſitatem naturae, & laborum & miſeriarum finem. Excepit ejus extrema mandata ac voces, qui ab ejus latere nunquam diſcedebat, Coſtadonius. Finis vitae illius Camaldulenſibus luctuoſus, amicis, quorum plures ſpecta-

Digitized by Google

ta virtute praeditos habuit, triſtis, omnibus denique bonis acerbus fuit. Qui eum oratione laudavit Guido Ignatius Vio affirmare non dubitavit, ſi quaereretur aliquis, in quo uno omnes inſidiſſent chriſtianae virtutes, & vel eae, quae ſpecie diſſimiles eſſe videntur, hunc profecto fore Mittarellium. Quod ſi habitum quoque ejus quis noſcere velit, ſubpinguis fuit, juſta ſtatura, vividis oculis, eo vultu, oratione, omni denique motu & ſtatu, ut bonum & innocentem virum facile dixiſſes, magnum non item.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN V. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Academia Inſtituti conditur 37. Inquietorum *ib.* 165. 166. 230. 233.

Aldovrandus de eo judicium 3.

Algarottus Franciſcus 182. ejus vita 304. praeceptores & ſtudia 305. & 306. Newtonianae philoſophiae dat operam 307. defendit & explicat 308. 312. & ſeq. poeſim colit 309. quam amans antiquitatis *ib.* picturae 310. 311. ejus itinera 312. 314. & ſeq. mandata a Pannoniae Rege 315. quam Borruſſorum Regi carus 316. & ſeq. ejus ſcripta varia 318. mors 319.

Algebra ejus ortus & progreſſus 211.

Ambroſii Camaldulenſis epiſtolae 380.

Anſaldus Caſtus Innocens contra Zanottum ſcribit 346. & ſeq.

Archintus Jo. Card. 321.

Arcus Comes morte damnatur 30.

B

Bazzanus Matthaeus 58. 59.

Beccaria Jo. Baptiſta laudatus 248.

Beccarius Bartholomaeus ejus vita 228. praeceptores *ib.* & 229. ſtudia *ib.* & 230. naturalem hiſtoriam illuſtrat 232. munera *ib.* & 233. 234 235. 236. 244. Praeſes Inſtituti factus quam de eo ſit meritus 236. quantum in medicina valeret *ib.* quam de chimica meritus 238. & ſeq. 244. 249. de medicina 236. 241. a Card. Lambertinio conſulitur 241, origo illius operis de phosphoris 245. alia ejus ſcripta 254. mors & mores 250. 255.

Benedictus XIV. 188. 241. 244. 248. 350. 362. 376.

Bernoullius Jo. ejuſque fratres quam meriti de analyſi 211. 214.

Bibliotheca Corvina 16.

Blanchinius Franciſcus 181.

Boerhaavii de Marſilio judicium 49. ejus error de lacte 249.

Bononienſes eorum laudes 2. 340.

Boyleus Robertus 49.

Bradleyus ejus cogitata de ſtellarum aberrationibus 178. & ſeq.

Briſaci ars oppugnatur 30.

C

CAntertanius Sebaſtianus 1. 300.
Chriſtina Svetorum Regina 9.
Cignianus Carolus litteris & pictura doctus 261.
Clem. XI. 278.
Clem XII. Manfredium adhibet 176.
Copernicani ſyſtematis confirmatio 179.
Corallum quid de ejus natura putaverint philoſophi 46.
Cornelius 299.
Corradus confutatur 157. 197. 287.
Coſtadonius Anſelmus 369. 378.

F

FArſettus 302.
Ferrius Hieronymus 298.
Fontenellius 312. 334. 362.
Friſius Paullus 341.
Fungi quid de eorum natura creditum 52. & ſeq.

G

GHedinius Antonius Ferdinandus 257. 326. 358.
Gornia Jo. Baptiſta 115.
Grandius Guido 137. 372. 377.
Gravina Jo. Vincentius quid de Martellii Tragoediis ſentiret 274. 276.
Guidius Alexander laudatur 272. ejus vita 282.
Gulielminius Dominicus 128. 151. ejus opus de natura fluminum 182.

H

HUngaricum bellum 11. & ſeq.

I

JAquierus Franciſcus 148. & 195.
Innocentius XI. P. 18.
Inſtituti Bononienſis origo & progreſſus 34. 164. & ſeq. ejus hiſtoria 55. acta a Zanotto ſcripta 331. & ſeq.

L

LAmius Zanotti cauſſam defendit 347.
Lancifii ſententia de fungis 54.
Laſteſius Algarotti vitae ſcriptor 302.
Leibnitius Gabrielem Manfredium laudat 223. ejus ſententia de viribus vivis 342. 362.

M

MAffejus Scipio 184. 193. 287. & ſeq.
Malpighius Marcellus 7. 68. 87. ejus vita 162.
Manfredius Gabriel ejus ſtudia 118. 209. quam de algebra meritus 120, ejus vita 209 ejus ſcripta de rebus analyticis 212. 213. 216. & ſeq. munera 213. 218. mandata 219. Aſtronomiae vacat 218. quam celebris 219. ejus mores 220. mors 221.
Manfredii Fratres & ſorores laudantur 222.
Manfredius Euſtachius vitam Stancarii ſcribit 155. cum

hoc aſtronomiam excolit 119. ejus ortus 144. aſtrologiae dat operam 145. in matheſi quantum profecerit 146. quam muſis carus 147. & ſeq. ejus poemata 148. 149. alia poetica 161. 162. mathematicarum diſciplinarum praeceptor 150. ejus anguſtiae ib. quam aſtronomiae deditus 152. quid de ea ſcripſerit 153. 160. 161. 168. & ſeq. 174. 177. 181. 183. quid pro hydroſtatica geſſerit 154. 155. & ſeq. 182. 185. Collegium Montis Alti regit 158. correctioni Kalendarii vacat 159. 180. quam de phyſica meritus 168. 175. ejus ephemerides caeleſtes 169. Romam legatur 172. fit Academicus Pariſienſis & Londinenſis 176. ejus opus de ſtellarum aberrationibus 177 quae a Clement. XII. mandata habuerit 180. , quid horum cauſſa ſcripſerit ib. & 181. ejus de terrae figura cogitata 184. valetudinis incommoda 185. mors 187. habitus & mores 186. & ſeq. opera edita 201. & ſeq. ejus communia ſtudia cum Martello 262. ejus in hunc officia 291 carmen de hoc ipſo 293. Zanotti ſtudia in Manfredium 359.

Marſilius Aloyſius Ferdinandus ejus ortus 6. itinera 8. & ſeq. 41. opus de Turcarum imperio 9. bellicae laudes 21. & ſeq. captivitas 13. merita erga Caeſarem 15. & ſeq. calamitates 17. & ſeq. 22. 25. 30. 38. mandata honorifica ab eo perfecta 10. 18. 21. 27. 39. quam carus Ludovico Magno 31. 48. quomodo in otio vixerit 32. ejus animi magnitudo 27. 33. reprehenditur 34. ejus in patriam caritas laudatur ib. & ſeq. Inſtitutum condidit 34. & ſeq. quid in illud contulerit 36. & ſeq. 123. 163. binas ei adjungit Academias 37. phyſicam maris hiſtoriam ſcribit 42. ejus de corallo opinio & inventum 45. & ſeq. de Danubio opus 50. & ſeq. de generatione fungorum 52. anguillarum 54. queritur de patria 55. morbi 56. mors 57. exequiae & honores 58. 59. mores 28. 31 56. 59. 60. opera edita 61. & ſeq.

Martellius Petrus Jacobus ejus ortus 259. ſtudia 260. calamitates 263. 268. 290. quam de poetica meritus 263. poemata ſcribit 264. 285. 286. quam tragicae poeſis amans 265. de hac ejus judicia & ſcripta 269. 274. & ſeq. 279. munera 266. 268. 278. 285. ſermones ejus de arte poetica 272 & ſeq. ejus ſatirae 287. mors & mores 292. opera edita 295.

Maupertuiſius 312. reprehen-

ditur 346 defenditur 347.
Michelеſius ſcriptor vitae Algarotti 302.
Mittarellius Jo. Benedictus ejus ortus 373. ſtudia 374. munera 375. opera 376. & ſeq. judicium de annalibus Camaldulenſibus ab eo ſcriptis 379.
Montius Joſeph 57.
Morgagnius Jo. Baptiſta Valſalvae vitam ſcribit 65. quid praeſtiterit in hujus ſcriptis edendis 102. & ſeq. rectam philoſophandi rationem Bononiae provehit 16. 126. quam Zanotti amicus 360.
Muſtapha II. laudatur 24.

P

PHiloſophia quam utilis hominibus 141.
Phoſphori 245. 247. 339.
Poeſis Italica ejus vices 147. 261. 351.

Q

QUirinus Cardinalis Zanottum defendit 348.

R

RAcinius 299.

S

SAngettus Paullus laudatus 259.
Schiara Pius Thomas Zanottum defendit 348.
Stancarius Victorius ejus vita & ortus 115. ejus ſtudia 116. & ſeq. ingenium in fabricandis aſtronomicis inſtrumentis 118. cum Manfrediis ſtudia conjungit 119. 153. cum Verzalia 127. eorum inventa 122 quantum in naturali hiſtoria valeret 123. quantum in Aſtronomia 124. & ſeq. philoſophicae Academiae a ſecretis 126. acuſticam exornat 130. quam utilis diſcipulis 132. analyſim docet 133. valetudinis incommoda ib. & 134. mors 135. amici 136. ſcripta 137. & ſeq.
Stoicorum philoſophia repreheníſa 346.

T

TRagoedia a quibus culta 193. 265. & ſeq. 283.
Turcarum Imperii natura 9. bella ab iis geſta adverſus Caeſarem 11. & ſeq. Viennam obſident 13. foedus adverſus eos 15.

V

URſius Jo. Joſeph 150. 262.
Valſalva Antonius Maria ejus ortus 66. ingenium 67. educatio 68. ſtudia 69. exercitationes anatomicae 71. & ſeq. chirurgicae 77. quam excellens medicus 78. & ſeq. 88. quam clarus 81. & ſeq. quanto in praetio apud Bononienſes 81. apud ſuos 84. ejus diſcipuli 88. 89 mores 90. & ſeq. 98. habitus 92. natura ib. morbi 93. 94. mors 95. honores 96. 97. & ſeq. ejus opus de aure hu-

mana 98. & ſeq. ejus epiſtolae 103. 112. differtationes 109. quam cautus in judicando 107.
Verzalia Joſeph quam bene de phyſica & algebra meritus 121. 128. 129. ejus inventa phyſica quaedam 127. & ſeq.

Z

Zanottus Euſtachius 187. 207. 305.
Zanottus Franciſcus Maria 326. ejus ſtudia 328. philoſophiam recentiorem docet 329. alia ejus munera 331. Acta Academiae Inſtituti ſcribit 332. & ſeq. Fontenellii aemulus 333. ejus mathematica ſcripta 334. & ſeq. de viribus centralibus opus 340. de viribus vivis 341. & ſeq. de attractione idearum 343. morum philoſophiam tractat 345. hujus cauſſa controverſiae 346. & ſeq. quam excellens orator 350. quam bonus poeta 351. de arte poetica ſcribit 453 & ſeq. ejus virtutes & mores 355. ejus ſtudia in Euſtachium Manfredium 359. ejus illuſtriores amicitiae 358. & ſeq. ſtylus laudatur 361. mors & exequiae 363. opera 365.

ERRATA — CORRIGE

ERRATA	CORRIGE
Pag. 30. l. 16. deditios	dedititios
57. 17. ſe fidere	confidere
101. 16. ipſae	ipſe
123. 9. ſuppellectili	ſupellectili
143. 6. Manferedii	Manfredii
151. 21. & 67. 17. cum	ex quo
153. 4. praeunte	praeeunte
168. 15. inauguratum	dicatum
171. 21. In Arcadia	in Arcadica
209. 2. priori decade	ſupra
219. 23. dirigiendis	dirigendis
239. 24. ſuperaſſe	illum ſuperaſſe
340. pr. non	ſe non
341. 8. ejuſdem	ejuſque
343. 9. natos	nos natos
290. 10. moereor	moeror
391. 22. quam	ſed etiam
321. 13. accedunt	non accedunt
344. 3. & 389. 16. an	utram

005270805 MAGL. 5.6.199.
5270807

NBCF